








XXXIV

MACED

LITUUS
LUSITANUS,
BUCCINÆ
ANGLICANÆ,
THOMÆ ANGLI,
CANENTI OCCINENS.

Occentore P. *F. Francisco* à S. Augustin
Franciscano Magistro Artium & Theologiæ Professore Conimbricensi.

Londini Excudebat *R. Norton*, 1654.

Illustrissimo Domino,

DOMINO

FRANCISCO BROWNO

Vice Comiti Montis-Acuti.

Epistola Nuncupatoria.

QVod sæpe ac diu Ecclesiasticam & Politicam Angliæ Historiam accuratè legens mente volveram insigni aliquo in te, ILLVSTRISSIME Vicecomes, & Clarissimam stirpem tuam Officio Literario exhibito, conceptam ex lectione opinionem, et affectum animi

ſignificare, id certè neceſsitas in conſilium vertit Patrocinij à te tuiſque beneficium poſtulandi. Neſcio an mihi honeſtè, certe vobis glorioſe cecidit: ut de quibus ego bene mereri cuperem, ij de me potius benè mereremini. Magnificentius eſt enim beneficium dare quàm officium accipere. Et verò te, tuoſque Illuſtriſsimos Heroas magnifica & excelſa decent, quos in Arce dignitatis, domi nobilitas, virtus, ſplendor, foris præclara bene geſtæ Reipub. merita collocarunt. Itaque etſi me pudeat inurbanitatis meæ, juvat tamen augere opinionem magnitudinis tuæ, nec enim tam mihi ſpectandum eſt, quid ego debeam, quam quid te deceat. Ecquid à me tibi niſi exiguum offerri poteſt? Ecquid à te niſi magnum proficiſcetur? Quod afferam, pondus habebit juſtitiæ, quod referes ſplendorem gloriæ: cujus animatu ingentes Heroum Animæ aluntur, & vivunt. Cur autem Patronum Te, ILLUSTRISSIME *Vicecomes, adoptare cupiam cauſas in monumentis hiſtoriarum ſcriptas, & in te deſcriptas habes. In quas ego cum incidiſſem, magnoperè optavi, ut qui externus aliter, quàm & colendo & amando in*

Fami-

Familiam tuam me insinuare non poteram, jure Patrocinij ad eam pertinerem. Mirabar priscæ nobilitatis Decora per tot Marchiones Montis Acuti, ad Vicecomites Proavos tuos traducta. Colebam insignia dignitatum Regiæ Periscelidis spiris involuta, quæ Hipparcharum, & Vexilliferorum Angliæ titulos commendabant. Observabam Legationum splendidissimarum munera, Mercurialibus Caduceis designata: & Paludamenti ac Togæ Lumina gratâ vicissitudine fulgentia intuebar. Cum què me defixum tenerent mirabiles multiplices que stirpis tuæ virtutes: rapuerunt oculos summa in Deum Religio, & in Principes Fides, quarum Majores Tui retinentissimi fuerunt: utrâque semper vel turbulentissimis temporibus integerrimè conservatâ. Adeo ut Principes ingenio, moribus, Religione diversi Avis se Remque publicam Tuis commiserint, & cum maximè opinionibus dissiderent, de Fide inviolabili BROWNICA *mirifice consentirent.* Itaque *duæ illæ Reginæ solo sanguine & jure similes, cætera & dissimiles & dispares* Maria & Elizabetha *pari judicio*

altera

altera Romanam, altera Hispanicam, & Batavicam legationem Uni Proavo Tuo ANTONIO BROWNO *Vicecomiti commendarunt. Quem* Elizabetha, *etsi à Romano-Catholicis aliena, & vivum propter eximiam in se & Angliam fidem dilexit & ornavit, & morientem invisit. Eximia sanè Familiæ Tuæ laus fuit Romanam Religionem incorruptam illibatamque servare, & quo maximè afflicta erat tempore liberè profiteri, eamque, cùm summâ flagrabat invidiâ, gratiosam reddere. Hanc tu,* Francisce *ILLUSTRISSIME, laudem hæreditariam accepisti, & sustines, spectatâ in Romanam Ecclesiam Catholicam observantiâ, & fide in Patriam singulari. Utriusque specimen egregium ubique præbes gratus omnibus, invisus nemini. Documento es:* Quicunque Romanam Religionem jam inde à Petro ad nostra usque tempora traditam retineat & colat: eum demum Patriæ & Reipub. fidelem fore. *Hâc tu imbutus, leges Patrias Sanctè observas, Magistratus revereris, Cives amas, Communibus rationibus studes, Amicos paras, Hostes arces,*

Angliæ

Angliæ ſaluti & felicitati invigilas. His quaſi pignoribus obligatam fidem Patriæ tradidiſti: & acceptâ ab ea fiduciâ cauſas apud illam Catholicorum agis, afflictis ſubvenis, miſeros levas, oppreſſos recreas, mulctatos juvas. Si qua imminet tempeſtas, provides; ſi quis intercurrit turbo, avertis; ſiquis impendet ictus, te opponis; ſi quid communi Catholicorum nomine petendum eſt, tu libellos ſupplices offers, & pius Orator accedis. Patrem Catholicorum induſtriâ agis, Matrem ſolicitudine, utrunque Amore.

Macte novâ Pietate Heros: ſic itur ad
Aſtra.
Hac arte Petrus, Paulus Apoſtolus
Innixus Arces attigit igneas.

Nempe adminiſtrando Gratiam ſicut 2 Cor. 11.
boni Diſpenſatores: Inſtantiâ quotidianâ, 1 Pet. 4.
Solicitudine omnium Eccleſiarum. *Horum Tu, ILLUSTRISSIME Vicecomes, inſiſtis veſtigia, Viamque affectas Olympi. Admones præterea Fideles ac Cives*

Tit. 3. *tuos* Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire. *Rectus Catholicus: juſtus Politicus. Cujuſmodi ſunt, qui Romanam, id eſt Catholicam Religionem profitentur.*

Hæc ego virtutum Ornamenta, cùm in te ineſſe audirem non potui non & te vehementer amare, & impenſè colere, etſi te nunquam vidiſſem. Cum que accidiſſet, ut Anglus Author, Thomas Anglus, adverſus me Doctrinam Romani Pontificis ſuſtinentem ſcripſiſſet, & Patronus mihi quærendus eſſet (etſi domi Ampliſſimus ſuppeteret) tu tamen primus & idoneus occurriſti, qui tuo quaſi jure Romanæ Religionis patrocinium ſuſcepiſti, quo te ſine injuria ſpoliare non poteram. Decebat præterea ut qui in Anglia adverſarium inveneram, Patronum in eadem nactus eſſem: ne quis diceret promptiores eſſe Anglos ad feriendum, quam ad protegendum. Cum præſertim ego Luſitanus ſim, qua nemo gente Anglos ardentius diligit & impenſius colit: Quare cum & mea probata ſit Cauſa, & juſta defenſio, & honeſta protectio, non dubito quin, Tu IL-

LVS.

LVSTRISSIME Vice comes, me in tutelam elientelamque accipias, quo nihil mihi aut jucundius, aut honorificentius poteſt accidere.

Vale ILLVSTRISSIME DOMINE *Vice comes, & Virtutibus & Imaginibus Tuis Fruere.*

Servus & Admirator Tuus.

Fr. FRANCISCUS *à*

St. AUGUSTINO MACEDO.

LECTORI BENEVOLO.

CLassicum adversus Arminium in judicio illo de Censura Summi Pontificis Innocentij super Jansenij Propositiones meo cecineram, cùm Buccina ex adverso increpuit. Nec dubitabam, quin à partibus Arminianis caneret (non enim Londini nobiles Arminij Sectatores desunt) sed à Jansenianis illa insonuit. Inflante Thoma Anglo homine Trinomio, nec obscuri apud Anglos nominis. Is quod plausum Auræ Popularis collegisset, et ex ea intumesceret, voluit effundere, ut nobiliorem aliam reciprocante halitu attraheret.

Pro-

Provocari me Sensi: vix dum audito sonitu arma comparavi. Lusitanum esse me memini, quem nemo lacessat impunè: qui nec in acie cuiquam nec in Palæstra cedat. Prodiens in arenam cum putarem Thræcem aliquem, aut Myrmillonem parem se mihi objecturum, sonum tantùm Buccinæ raucæ audivi. Flatum itaque Flatui opponere decrevi, & Auram Aurâ difflare: pari ingenio, methodo meliori. Nam cum ille Sententias meas, quas temere impugnat, meis conceptas verbis (uti oportebat) minimè proposuerit, ac multa arbitrio suo finxerit, ego suas iisdem quibus protulit verbis affero: easque summâ fide relatas confuto: meas verò, et recognosco & confirmo. Fecit in me Thomas, quod in Augustinum Julianus. Subtraxit ac detorsit verba, et adulteravit Sententias. Ego faciam quod Augustinus refellens Julianum. Ipsa verba mea ponam: unde videant, qui hæc legant, quemadmodum Scriptis meis insidietur, & qua conscientiâ vel tardis, vel ignaris cordibus abutatur. *Et quod adversus eundem Beda Venerabilis Angliæ Decus qui l. 1. Cant. disputans de Gratia Dei, singulas Juliani Sen-*

Sententias, Ipsius *inquit c.* 2. verbis ponere per ordinem libuit, *ut aptius refutaret. Est fides in commemorando, præjudicium veritatis in disputando: quemadmodum idem Augustinus proximè citatus docet. Deinde cum videam nullam ab eo rationem authoritatis haberi, atque adeo more suo, sed perverso, rarò proferre Authores, & suo cuncta judicio definire, & in definiendo novis & inusitatis atque à Scholis alienis uti vocabulis, & ego contrà sentiam qui sciam non modo, Scholasticos sed etiam veteres Ecclesiæ Patres, imo & ipsa Concilia Antiquiorum Doctorum testimoniis uti (de qua re ipsum ad sect.* 8. *moneo) & Scholasticam disputandi rationem ad probandum, & refellendum esse aptissimam, statui, Authorum præsidio confirmare quæ sentio, & receptis consuetisque in Schola uti vocabulis, et fluxum illud & dissipatum disputandi genus, ad pressam, & justam ratiocinandi formam traducere. Cæterùm quia Thomæ stylus difficilis, & durus, dictio incompta & horrida, aciem mentis fatigat, & frangit (de quo sæpe queri idoneos Lectores operum ejus audio, & ego experior) coactus sæpe sum interpretem agere,*

re, & difficultatem duritiémque illam emollolli-re, & infelicitatem horrorem que verborum auferre: & candidè ac nit idè cuncta exponere. Quid uterque nostrum sit consecutus, tui judicij Lector esto. Reliqua de quibus monendus videbare in decursu operis repræsento. Quòd acrius ego cum Thoma, quàm mecum ille egerit, aliquantò agam id genio Lusitanæ gentis, quæ non nisi ardenter bellare solet assigna; Deinde memineris, cum eo qui me Semipelagianum vocat, mitius non fuisse agendum cum non deceat, *teste Hieronymo,* quenquam in perferenda hæresis nota esse patientem: *cum præsertim ipse, qui me hæreseos insimulavit, ab ea liber non sit. Observavi quippe non paucos, tum in* hac *opella tum in reliquis scriptis, quæ in lucem edidit, errores admittere: quos necesse fuit, et prodere et confutare. Itaque in fictis à me amovendis patientior esse non debui, in veris illius confutandis moderatior esse non potui. Unum te Lector ad calcem monitum volo. Cum audieris Thomam Anglum Tubam Buccinamve inflantem, ne quo terrore quatiare. Nam etsi Sonus terreat, nil præter sonum inanem affert: cum*

nec

nec ratio, nec authoritas insit, nec sensus constet, atque adeo nihil possit intelligi. Unde aptè de hac Tuba illud Ennij cecinero.

At tuba terribili sonitu Taratantara dixit.

Audi, Judica, & Vale.



SONUS LITUI ADVERSUS SONUM TUBÆ.

Ad Sectionem primam, Flatus primus.

REctè omnino à permiſſione incipis, quæ circa peccatum verſatur. Sæpiculè-enim peccas inflando tubam: adeo ut vix quicquam citra peccatum dixeris. Queri moliris & anſam rixandi quæris. Queri autem *non læſum* ineptum eſt. Humanitati meæ dato quod te molliùs, quam par eſt accipiam. Nec fero tantùm, ſed miſereor imperitiæ dicam, an intemperantiæ, quam in mea cenſura improbanda præ te fers. Palpum quî obtrudis homini demiſſionem animi ex inſtituto *Franciſcano* profitenti? Fucum adulando facis; obtendis laudem, ut tectiùs tutiúſque vituperes.

Magno *Francisci* nomine te obumbras; & plagas infligis ad quinque Articulos quinque: sed ego referam vulnera, tu captus meis argumentationibus in hoc, quod committimus, justo prælio stigmata reportabis: ac te verum vatem efficiam, dum ais à me non allici solum homines, sed *captivari*, hîc enim tuo, idest minus latino, verbo, uti non gravabor.

Ais te *incidisse Mentem Innocentij*. Ita omnino nam eam tu, vellicando meam, miserè incîdisti, & lacerasti. Jure Patriæ tuæ gratulatum te dicis, quòd fructus tulerit, non quos non speraret cum tam multi Angli uberrimos ferant fructus doctrinæ, sed quod cum à te præter inanem & ventosam foliorum luxuriem sperare nihil posset solidæ, & constantis doctrinæ, ex alieno homine fructum cepit. *Adivi nomen* ais. Hoc editur non aditur: nisi forte me nomen tuum vocas, quod in ære sum tuo. Sed nulla ego apud te nomina feci: ut me hoc nomine debitorem voces. *Beabas tu solem-istum qui me magistrum in vicinia ostentabat*. Ecquis solem beet? At tu beare solem affirmas. Quantus es tu qui beatum solem facis? Qua ratione videris. Eam ego probo: qua nox incumbens currenti Soli quietem affert & recreat. Hac tu ergo caligine errorum infusâ Solem beare, dum condis, potes. *Imperasti ligaturam*. Nempe mittendus erat libro meo sanguis: ligare brachium voluisti; ut lancinares: sed vacillante manu aberrasti. Nisi fortè quod de uvis sermo futurus erat, ligaturas iis præ-

præparasti. Dicis *te cum uvas expectares, labruscas* gustasse. Male conceptum Scripturæ locum in rem meam composuisti: nec enim *Labruscas feci*, nec tu invenisti: nisi cum gustasti. In palato vitium erat, non in libello, cujus delicias stomachus tuus duriusculus, cum non posset concoquere, corrupit. Credo te, *non satis intellexisse*, imo & penitus ignorasce quid scripserim: nam in rem, nihil rescripsisti. *Advocasti calamum*: utinam & mentem. Sed hanc aduocato calamo, avocabas. Idcirco prorsus ignorasti. Ego ex scriptione ineptâ non constitisse legenti mentem comperio.

Ad rem venio: & tua te per vestigia insector. Desideras in meo illo judicio partitionem Censuræ in *Scholasticam & Juridicam*. Ac definis Scolasticam *quæ discernit quid in re sit, seu in ipsa sententia mali: & quid & ipsa naturá vocum in eá asserenda peccetur: juridica vero quæ salutem Ecclesiæ spectet, & scandalum & erroris periculum censurâ suâ præveniat: & faciat nonnunquam censuræ obnoxias, quæ de de sese innocuæ erant*.

Primum. Ecquis unquam exponens Censuras hujusmodi Pontificias, hanc partitionem invexit? Certè Suarez 1. Tom. de grat. Prolegom. 6. Vasquez. 1.2 d.218.c.3. Smising. tract. 3.d. 6. q.7. exponentes Censuras Papæ Pij V. & Gregorij xiij. nullam illius mentionem fecerunt: sed spectatâ Scholasticâ veritate, quid de iis statutum fuerit, inspexerunt, & affirmarunt. Equidem cum tantis Doctoribus errare malo, quam tecum ad scopum collimare.

Secundùm: iſta partitio inepta eſt. Nam Cenſura ſcholaſtica, non eſt membrum oppoſitum Cenſuræ juridicæ, ſed ſpecies ſubjecta generi: atque adeò non eſt diviſio in formas, ſeu membra oppoſita, verum contractio generis ad ſpeciem. Patet, quia juridica Cenſura eſt genus ad propoſitionem Scholaſticam, & Poſitivam: Speculativam & Practicam: Ethicam & Politicam. Cum juridica cenſura ſit, quæ jure definit quid de unaquaque ſentiendum ſit. Unde omnis Cenſura, quæ ab eo fit qui jus habet definiendi, & juſtè ac ritè de qualibet propoſitione judicare, juridica eſt. Igitur cenſura Scholaſtica eſt Juridica, cum jure fertur, quẽadmodũ erit juridica cẽſura de legibus, aut præceptis cum dubitatur de illis An ſint juſta: An gravia, vel levia? Unde patet cenſurã Scholaſticam, non opponi cenſuræ Juridicæ, ſed ſub ea tanquam ſpeciem contineri.

Tertium. Hallucinaris *Thoma* Angle, dum objectum ſubjectumve, in quo verſatur, Cenſura, cum fine ad quem Cenſura refertur, confundis: nam cenſura omnis cadit in ipſam propoſitionem de qua judicat: atque hæc eſt illius objectum ſubjectumve. At vero *Salus* quod ais *Eccleſiæ*, ſcandalum, & periculum Animarum, Fines ſunt ad quos ea Cenſura ordinatur. Videlicet in hac tua Propoſitione *Animæ* ſunt *in Purgatorio uſque ad diem judicij*, quæ citò, opinor, damnabitur, objectum immediatum Cenſuræ, erit materialis illa falſitas: mediatum, ſpecies falſitatis, quæ eſt hæreſis: & tunc cenſebitur Hæretica, & complebitur Cenſura quoad ſubjectum.

Tunc

Tunc ſequetur effectus & Finis; poſito enim quod ſit hæretica, conſiderabit Pontifex ſi vulgetur fore perniciosam Eccleſiæ, ac judicabit è re Chriſtiana eſſe illam proſcribi, damnaríque. Viden uti in Cenſura tuæ Propoſitionis oſtendi id quod ineptè vocas *juridicum* extra Cenſuram eſſe, ad & finem pertinere? id vero quod Scholaſticum dicis, in eo ſolum ac propriè Cenſuram verſari?

Et quoniam uti duro es ſtylo, ita præfacto videris ingenio, volo illud ratiocinando macerare, & maceratum ad credendum ſubigere. Poteſt Papa illam Propoſitionem tuam libro iſto de Fide & Theologia ſſ. 22. *Authoritatem Papæ uti Papa & Summus Pontifex eſt eſſe fallibilem* Hæreticam cenſere & cenſuram apud ſe aliquo tempore continere, donec evulget. Quæro tum ex te, An de illa Propoſitione lata Cenſura ſit necne? Sanè affirmabis. Tunc illud extorquebo, Vitare ſcandalum, & periculum non ad cenſuram, ſed ad finem effectumque pertinere: atque adeo illam rationem juridici, prorſus à ratione Cenſuræ propriè eſſe alienam.

Illud etiam te fugit hominem oculeum, illam Partitionem in Scholaſticam, & Juridicam, quæ ex parte Juridicæ ferri non poteſt, utcunque tolerari poſſe, ſi loco *Juridicæ*, ponas *Politicæ*: nam ad Politicen Eccleſiaſticam ſpectat evulgatio Cenſuræ: quæ veluti legis promulgatio eſt; hæc autem omnino ad Politicam pertinet.

 Quod

Quod adjicis, bone vir. *Faciet nonnunquam, censuræ obnoxias quæ de sese innocuæ erant.* Non caret notâ erroris : vide enim quæso quid dicas. Censere :interdum Papam aliquas propositiones hæreticas & erroneas esse, cum minimè sint, idque juridicè agere : quod nescio quomodo possit ab errore liberari : nam quid est hoc modo damnare sanam & ueram propositionem, quàm mentiri & fallere & quidem in re gravissima : quod si Pontifici, uti vis, licet, licet eum turpissime labi. Id vero juri assignas, cum nullo jure fieri possit. An putas ad utilitatem publicam propositiones innocuas posse censeri & damnari ? cum nemo doctus concedat licere cuiquam ad totius orbis salutem mentiri? Absit, ut Sumnus Pontifex totius Christianæ Veritatis oraculum, secus de ulla propositione quam illa sonat, sentiat. Aliter enim nihil erit certum, nihil sanctum in ejus censura : nec ulla propositio ab eo proscripta improbabitur : erit enim cuique promptum dicere Pontificem vere & ex animo propositionem non damnasse, sed ex alio fine ; atque adeo posse illam sustineri & defendi. Nec dicas vetitum esse à Pontifice, nequis opinionem de Conceptione maculata Beatissimæ Virginis publicæ deprædicet & evulget, cum tamen ea adhuc innocua sit. Facile enim respondeo. Pontificem non censuisse, neque improbasse illam opinionem, sed tantùm modum eam evulgandi vetuisse : qui sané modus propter teneros animos vulgi poterat, uti sæpe usu venerat, turbas, & tumultus excitare. Unde illa opinio ita prædicata haud innocua

erat

erat. Itaque argumentum in te retorqueo. In hac propoſitione, quod innocuum eſt, putà, Affirmatio ſecreta, non cenſetur nec improbatur, illud autem quod nocere poteſt ideſt Prædicatio publica, quæ haud innocua eſt, vitatur & cenſetur. Ac ut tuo te gladio jugulem: Si innocuæ ſunt Propoſitiones illæ, ſanè nocere non poſſunt: atque adeo nec cenſuræ obnoxiæ ſunt. Quod ſi ſunt, obnoxiæ Cenſuræ, certè noxiæ ſunt. Atque ita ſemper jure ac ritè prohibentur, nec aliud ſonant nec re aliud ſpecie Cenſura exhibet, omni prorſus fuco, & cavillo amoto.

Jam vero Exemplum quod affers ad confirmandam opinationem tuam, illud nec rectè, nec aptè adducitur. Ac miror cum rei tantæ in mentem venerit, tam levi eam brachio attigiſſe, & quaſi prætereundo deſpexiſſe. Quid enim unquam majori contentione in Eccleſia agitatum, quam gemini hujus vocabuli Ομοούσιον & Ομοιούσιον ſignificatio, quorum illud primum unitatem naturæ Filij & Patris & Conſubſtantialitatem: alterum ſimilitudinem tantúm, & inæqualitatem ſignificabat. Quia tamen notio vocis Ουσία ambigua videbatur, etiam vox Ομοούσιον negotium Conciliis & Patribus faceſſivit: timentibus ne non pro Eſſentia ſolùm, ſed etiam pro Hypoſtaſi poneretur. Hinc illa Concilij Niceni ab Alexandrino ſuper ea voce diſſenſio. Hinc Conſtantini, imo & Hoſij cum Patribus Nicenis diſſidium: cui occaſionem præbuit Ariminēſis ſynodus & Sirmienſis, quæ eam prorſus repudiarunt: unde il-

illam probandi, ansam Niceni Patres arripuerunt. Alia verò vox Ομοιέσιον ab Semiarrianis excogitata hæresim manifestam induxit: quam tantopere Concilia Patresque exagitarunt. Tu rem tantam in qua Cardo Fidei vertitur, tam obscurè jacis, tam leviter attingis ceu pondus quæstionis ignores. Illud item adverto: malè te illam vocem Ομοιέσιον Latinè redidisse, cum præstaret Græcè reddere Ομοιέσιον quod circumpectiores authores solent, cum præsertim tu græcè, opinor, scias, & ego non ignorem. Sed levius hoc. Illud quod est gravius vendico: nec rectè, nec aptè exemplum attulisse. Ais enim Ecclesiam Ομοιέσιον *proscripsisse, non quia falsum in se claudebat, sed quia inferebat..* Nego: nam falsum omnino continebat. *Similem* quippe Patri *non unum* Authores vocis Semiarriani illâ significare volebant. Hoc autem falsum esse quis neget? Unde Ecclesia eam vocem exibilavit. Quod autem ais non falsum in se claudere, sed inferre; ineptè dicis: nam nisi falsum contineret, quî inferret? cum illatio sit deductio ex principio: inquo si nihil est falsi, nihil illatio ex eo falsi continebit. Id tu qui Logicus es, facile perspicies. Si verò dicas id quod infertur, non ex vi vocis, sed ex voluntate audientium deduci, tum ego adversus te illud evicero, perinde esse Ομοέσιον atque Ομοιέσιον; nam Ομοέσιον vocabulum detorserunt homines Arriani ad sensum perversum dicentes Ομοέσιον esse ejusdem subsistentiæ, & Hipostasis sumpto nomine *Usiæ* pro subsistentia, & persona, quam etiam *Usia* significat, teste Hieronymo

nymo

ronymo Epist. 57. ad Damasum. & Augustino Lib. 5. de Trinit. cap. 8. Richardo de sancto Victore l. 4. de Trinit. c. 20. Itaque omne tibi ereptum est effugium. Nam si illatio ex intrinseca significatione Fiat, non potest tolerari Ομοιούσιον si extrinseca & deorta significatio spectetur, non magis improbanda est vox Ομοιούσιον quam Ομοούσιον, cum hæc etiam ab Hæreticis sit adulterata.

Non tamen parcam imperitiæ tuæ, dum ais Ecclesiam Ομοιούσιον proscripsisse: nam si Patres diligentius legeres, invenisses Hilarium eam vocem Libro de Synodis sub finem probasse, nec eandem Athanasio in Epist. contra Synodum Arimin. & Sirmiensem rectè explicatam displicuisse.

Reliquam partem Sectionis primæ non curo: nam ea supervacanea est. Quicquid enim tu de ambiguitate, de analogia, de multiplici sensu verborum ad rectè ineundam ratiouem Censuræ molestissimè ingeris, id ego omne occupavi. Imo tam accuratè de eo ac dilucidè egi, ut mirum sit te qui legis & intelligis Latinè, in tanta Luce caligasse. Verum tu aut dormitabas, aut agebas aliud cum Legebas. Orbilius tibi adhibendus est, cum opera mea recognoveris: cujus fuste dolatus seriò expendas, quæ legis, hominum præsertim circumspectorum, & qui nocturna diurnaque manu Authores versarunt: & libris impalluerunt. Atque ut ferulâ te incuriosum & negligentem percutiam: illud castigo quod ais: *Praviores censuras quales sunt hæreseos, & erroris non posse esse vocum,*

ſed mentis. Ecqua enim eſſe poſſit mentis cenſura niſi hæc verbis exprimatur ? Imo cum cenſetur propoſitio, quibus ea verbis conſtet inſpicitur : ac ex iis ſenſus mentis arguitur. Nec enim Error, opinor, aut hæreſis eſt recta argumentandi Forma quæ A. & B. C. & D. terminis non ſignificantibus demonſtratur. Quòd ſi in vocibus nulla uis eſſet ad errandum, ineptè diceret Paulus, *Profanas vocum novitates devita*; nec tot in Eccleſia Catholica tragædias excitaſſet illa vox Υπόστασις & illa proximè à te adducta Ομοιέσιον pro quorum recta intelligentia Patres & Concilia tantoperè laborarunt. Sed hæç tu tanquam Canis è Nilo ſoles *Thoma* Anglice, non Angelice, non dicam delibare, ſed præterire.

Sect. II.

SECT. II.

Flatus Secundus.

PRimam Propositionem ais à me confusè & indistinctè tractatam. Putidè ais & ineptè. Propositio hæc erat, & sic à Pontifice proposita. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impoßibilia : deest quoque illis Gratia quâ poßibilia fiant.* Ea sic concepta damnatur à Pontifice & uti damnanda proposita fuerat ab Episcopis Galliæ eidem Pontifici. Eandem ego taxavi, & ex Augustino refelli : Itaque dum me reprehendis, & Pontificem Maximum, & reliquos Pontifices reprehendis. Sed quo jure videamus. Dicis *Priorem partem Propositionis duos Sensus claudere. Unus, inquis, est, Mandata esse impoßibilia simpliciter: quantumvis laborent justi secundum præsentes vires. Alius est, mandata esse impoßibilia illis secundum præsentes vires: etiam si velint & conentur.* Addis: secundum sensum esse de Fide: & non minus eo admsso reliquam partem. *Deest quoque illis gratia quâ poßibilia fiant.* Certè nihil vidi putidius. Nam hæc tua distinctio clarissimæ Luci tenebras effudit. Et ut verè dicam *Thoma*, tenebricoso

bricoso ingenio es: & stylo infelici. Audiamus hanc *Sphyngem.* *Duos sensus habet* illa Propositio. Nego illam duos Sensus habere. Quod si annuam habere, dico duos illos quos affert *Thomas* habere non posse: nam Propositio est: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impossibilia.* Patet sensus id est, *Justos interdum, actu conantes & volentes, præcepta servare non posse.* Nec puto alium esse. Ita Pontifex & Episcopi haud paulò meliores opinor, *Thoma* Anglo Theologi, & Doctissimi Patres Jesuitæ Antagonistæ Jansenij intellexerunt: nec ego aliter intellexi, nec existimo sanum quenquam secus intellecturum. Unus *Thomas* Anglus contra sentit, duobus sensibus adductis. Alter est, *Mandata sunt impossibilia simpliciter, quantumvis laborent justi secundum præsentes vires.* Illum expendo. Hic certè non respondit nostræ Propositioni. Nam hæc non erat indefinita, sed particularis: & proponebat tantum *Aliqua præcepta.* At vero hæc *Thomæ* est indefinita, & non loquitur de particularibus præceptis; Ait enim in definitè *Mandata*: perinde ac universaliter procedat. Deinde, Nostra non includit illud *Simpliciter* quod Thomæ propositio Vendicat. Ecquis autem diceret *Mandata esse simpliciter impossibilia.* Etenim si essent simpliciter impossibilia nullo modo rationeve servari à quoquam possent, sive à justo sive ab injusto, unde pars illa sequens, & complens Propositionem supervacanea est.

Quan-

Quantumvis laborent justi secundum præsentis vires. Frustra enim laborent justi in eo quod est impossibile simpliciter.

Quid quæris? illud *secundum* præsentes vires in hoc sensu omnino stultum est. Nam si illud est impossibile simpliciter, desipit qui dicit *secundum præsentes vires*, cum nullis omnino viribus fieri possit. Imo & implicantur adjecta; nam qui negat esse quidquam impossibile secundum aliquas vires videtur dare, secundum alias esse possibile. Cum autem id quod est aliquo modo possibile, non sit simpliciter impossibile, fit ut in adjectis implicatio existat. Cum quod simpliciter impossibile dicebatur, impossibile negatur.

Pergo ire ad alterum sensum tuum. Is est: *Mandata esse impoßibilia illis secundum præsentes vires, etiam si justi velint, & conentur.* Quæro ex te quid intelligas illâ particula *illis*? Credo te justos intelligere. Nam de his sermo erat. Rursum quid sibi velint *præsentes vires.* An vires quas nunc habent justi? An quæ natura habet in statu ruinæ? Si de justorum viribus loqueris, cum hi sint in gratia, possunt servare præcepta per Gratiam. Et hic est legitimus sensus. Et in hoc dicere Mandata esse impossibilia justis, error est à Pontifice damnatus. Nam si justi velint & conentur, cum non nisi ex Gratia conentur & velint, mandata servare poterunt. Idque ego in mea Censura ex Tridentino & Augustino probavi, & omnino constat. Nunc quæ te intemperiæ tenuerunt, ut

affirmares hanc Propositionem esse de Fide, *Mandata sunt impoßibilia justis secundum præsentes vires, etiam si justi velint, & conentur.* Cum ea prorsus hoc legitimo accepta sensu Hæretica sit. Uti nemo Sanus negabit.

At dices: In alio sensu esse de Fide; nam ex viribus naturæ lapsæ (quæ sunt præsentes vires) mandata servari non possunt. Primum hoc tu ita non explicasti. Sed obscurus es ac difficilis. Debeas stylo meo lucem & nitorem. Deinde ne hoc quidem modo, quem tu obscurasti, sensus constare potest: quia sermo est de justis etiam cum volunt & conantur: hâc autem ratione non excluditur Gratia, nec de solis naturæ viribus sermo esse potest, nisi impropriè loqui velimus. Quis enim de potestate operandi Justorum loquens intelligat solam potestatem *naturæ*, cum præsertim audiat conatus, & studia eorum? Itaque loquendum tibi erat de hominum statu lapsanti, aut de hominum natura, aut genere: ut possis intelligi de viribus naturæ exclusâ Gratiâ, quâ solà ratione secundus ille sensus probatur. Nescio, an hoc tu volueris dicere, nec enim cum tam impeditè & obscure dicas videris dicere voluisse. Ego tibi sanè facem præluxi, quanquam ea Cæco usui futura esse non possit. Video enim te velle Constitutioni Pontificæ refragari: id autem more tuo facis, qui nunquam Papæ justam authoritatem concedis: imo ei malignè detrahis quo nomine te suspectum Anglis Catholicis, & eorum Pastori Chal,edonensi Episcopo

copo reddidisti. Verùm sta in gradu, in quo te locavi: & mecum, si vir es, age. Ne hac quidem ratione explicandi potest Censura tua consistere. Nam cum hic status ruinæ non careat Gratiâ datâ ex misericordia Dei, & meritis Christi, non potest dici absolutè *Mandata sunt impoßibilia* præsertim *Justis* quibus jam est donata Gratia. Quare falsa est etiam hoc sensu illa propositio: nec minus falsa & sequens: *Deest quoque illis Gratia qua poßibilia fiant*. Cum in hoc statu naturæ lapsæ adsit Gratia, imo & sine ea justi esse non possint. Hoc ego dilucidè opinor, & aptè ostendi meo illo Art. 2. in quo cum Augustino Author fui: Præcepta non posse dici impossibilia absolutè, cum servari possint Gratiæ Auxilio. Unde paret etiam secundum præsentes vires impossibilia non esse.

Nec tute tibi, bone vir, constas: quod miserabile vitium est. Nam Sect. ix. Summam Controversiæ faciens, concedis quod modo negas: & mecum omnino & cum Censura Pontificis sentis. Ais enim: *Prima Propositio si explicetur ut quantumvis laboret homo secundum vires præsentes, mandata nihilominus illi impoßibilia dicantur Hæretica est.* Papæ. Dixeras: Propositio, Mandata *sunt impoßibilia justis secundum præsentes vires, etiam si velint, & conentur.* De Fide est: & Hæretica non est. Puto contradictionem esse: nec te excusat ponere illud secundum præsentes vires ex parte impossibilitatis mandatorum: nam tu ipse statim fateris illa impossibilia nullo modo dici posse, sive naturâ

spectatâ,

ſpectatâ, ſive Gratia cum natura: Adjicis enim. *Nam vel homini naturæ viribus Laboranti poſſibilia ſunt, quia poteſt habere gratiam: & homini Gratiam in idoneam habenti, quia poteſt habere idoneam.* Perſpicuè mecum conſentis: & à te diſſentis. Expende, confer, judica. Fatere te Sect. illâ ſecundâ dormiiſſe. Et quidem ſtertebas tam vaſtè ut tubæ clangorem vinceres.

Nonne queſtus ille de me tuus ronchus eſt? Ais me ſupinè decipi pag. 12. & 13. imponens Janſenio contradictionem: ais que in eadem foſſa jacere. Affirmo me Janſenio contradictionem impegiſſe: & ſummo jure: Cum Janſenius & juſtos volentes & conantes ſervare præcepta induceret, & tamen negaret illis eſſe poſſibilia: nam cum juſti, ipſomet Janſenio teſte, nonniſi ex gratia conentur, & velint, & per illam mereri poſſint ulteriorem Gratiam, ſequitur non eſſe præcepta impoſſibilia illis conantibus. Id ego cùm perſpicuè dixiſſem, & diſtinxiſſem inter primam illam parvam ad volendum & conandum, & illam ulteriorem magnam & idoneam ad implendum mandatum Gratiam, & hanc per primam mereri & impetrari ex Auguſtino, & Tridentino confirmaſſem, tam altè dormiebas *Thoma*, ut nil omnino intelligeres, & ructares immane mendacium: Ais enim: me jactare Janſenium ſibi contradicere in eo quod admittat gratiam in conatibus, & requirat aliam ulteriorem. *Requirere* inquis *ulteriorem Gratiam putas eſſe contradictionem agnoſcenti primam.*

Egone

Egone hoc dixi *Thoma?* & illud dixit Jansenius? In mediis tenebris versabare & fumeam nubem exhalabas cum ista eructabas. Excute somnum: Audi: Jansenius admissa prima illa & parv a ad conatus Gratia in Justis non meminit alterius ulterioris, quæ necessaria est ad implenda mandata, atque adeo negavit Possibilia esse, quia deerat ista ulterior. Itaque non illam admisit, sed præteriit: si enim hanc admitteret, non negaret esse possibilia. Ego vero dico Jansenium errasse; nam cum admitteret illam primam & parvam ad conatus Gratiam, debuit admittere ulteriorem aliam qua per primam impetratâ servarentur præcepta. Nos hæc diximus. Tu somniabas. Imponis mihi quæ Jansenius dixit: quæ ego dixi Jansenio tribuis. Maria omnia Cœlo misces. Et ais: adversus me inferens: *Ergo ne unica est Gratia? Et qui accepit primam non indiget alia?* Hoc adversus Jansenium ego intuleram, tu adversus me infers. Neutrum opinor, legisti, aut somniasti, & eburneâ portâ somnia effudisti. Et tamen cum contra Pontificem statuas, ei adularis, prudentissimum vocans, meque apud illum adducis in invidiam nomine prævaricatoris. Sed nec ego prævaricator nec adulator, qui & te & Jansenium vere accuso, nec adulator; veritatem amo, & in Persona Pontificis non Personæ, sed dignitatis rationem habeo. Tu Adulator & simulator, quæ duæ sunt geminæ Artes: nam cum Pontificis Censuram rejicias, Personæ supparasitaris.

SECT. III.

Flatus Tertius.

SUper-ſecunda Propoſitione mecum rixaris quæ hujuſmodi eſt. *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Ac primum mihi concedis, quod non putaram, Gratiam dari Inefficacem: hâc enim admiſſâ tollis cauſam anſamque rixandi. Patet, quia Gratiæ Inefficaci reſiſtitur. Sed offendicula quæris, ut cæſpitemus. Rogas quo jure Inefficacem Gratiam ſufficientem dicam? Id tu certè non rogares, ſi totum illum articulum meum legiſſes. In eo enim poſt medium huic ipſi quæſtioni aptè reſpondi. At tu truncare ſoles capita, & mutilare articulos legendo. Lege: invenies: vel ſi captus es oculis, talpam te fatere.

Cæterum abſurdam hic & importunam quæſtionem excitas, Separans Senſum à vocibus, cum utrunque in Propoſitione Enunciata ſpectari debeat: nec enim in ea vox & ſenſus poſſunt disjungi. Itaque ex utroque veritas falſitasve exiſtit: Sequor tamen orbitam quam impreſſiſti. Fateris

Sanctæ

Sanctæ inſpirationi ſæpè reſiſti. Idque à Janſenio negari non poſſe. Sumo quod das & expendo quod dicis. De re eſſe quæſtionē. *Utrum Sanctæ Inſpirationi nunquam reſiſtatur?* Accipio. Rogas me per Fidem meam, & ſimplicitatem habitus *Franciſcani*, num putem Janſenium judicaſſe: *nunquam Sanctæ Inſpirationi reſiſti?* Negas quippe hoc ei in mentem venire potuiſſe. Imo ne inerti cuipiam & bardo homini. Ita de re ſentis. De voce mecum conſentis, quòd attinet duo Adjutoria *ſine quo non & quo*. Et ſtatuis Janſenium loqui cum Auguſtino de Adjutorio *Quo*: eique, cum Efficax ſit, affirmare Janſenium nunquam reſiſti. Tum Dialectico more ratiocinaris inducta de Æquivocis doctrina: & per longiſſimas ambages & mæandros doces Vocem Æquivocam à Concilio cum abſolutè ponitur principali ſignificato addictum iri, ac ex eo deducis vocem Gratiam in Propoſitione damnata pro Gratia Efficaci ſumendam eſſe, non pro Inefficaci. Cum verò Efficaci nunquam reſiſtatur, concludis Janſenium de illa locutum, atque adeo verè & aptè locutum. Quod ſi ita eſt, corruit non mea tantum, ſed & Pontificis Maximi Innocentij Cenſura. Idque tu profectò machinaris, ut per meam Cenſuram Pontificiam Conſtitutionem evertas: uti infra oſtendam. Equidem ego efficiam, ut cum neutram evertas, utraque imperitiâ tuâ confirmetur. Rogo te primum per perfidiam & ſtupiditatem tuam, An putes Inſpirationem ſanctam re ipſa Gratiam Interiorem eſſe? Quod ſi putas: rurſum quæro, An interior

 interior

terior illa Inſpiratio Sancta ſit ſolum Efficax vel non? Et in quo ſignificato vox Sanctæ Inſpirationis ſumenda ſit? Nam ſi concedis idem re eſſe Inſpirationem Sanctam & Gratiam, ego puto in voce nihil intereſſe, cum eadem iis duobus nominibus ſæpe appelletur, quod autem hoc vel illo afficiatur, in ſono aliquantum in, re nihil intererit. Unde quicquid affirmes de re ſub uno nomine, de eadem ſubaltero affirmabis. Niſi forte quod Homo quod ita Latine & Græce Ανθρώπος dicitur, cum de eo Græce loquimur, rem mutamus.

Nunc: ſi res quæ dicitur Gratia eſt eadem, cum ea quæ dicitur Inſpiratio Sancta: utrovis nomine appelletur, res conſtabit. Eſt autem eadem omnino Res, Gratia & Inſpiratio Sancta, igitur diverſa nomina rem non mutabunt. Cum igitur Inſpirationi Sanctæ reſiſtitur, Gratiæ reſiſtitur cum eadem res ſit, ea cui reſiſtitur. Cur ergo ais, Inſpirationi Reſiſti idq; à nemine negari, *G*ratiæ autem nunquam reſiſti? vide quam Futiliter argumenteris. Sed objicis vocem *G*ratia ſigni ficare Efficacem *G*ratiam, hanc autem non ſignificari per inſpirationem Sanctam. Hoc ſi dicis, libere ac temerè dicis: Imo Frequentius cadit vox Inefficax ſuper vocem *G*ratiæ, quæ communiter dividitur in Efficacem, & Inefficacem : quam in Sanctam Inſpirationem : quæ vox cum minus ſit uſitata rarius *I*nefficax dicitur. *I*taque qui affirmat non

reſiſti

resisti *Gratiæ*, is non resisti Sanctæ *Inspirationi* affirmabit.

Elisâ primâ argumentatione tua: alteram enervo. Ac omisso illo diverticulo longissimo & inepto de Æquivocatione, te propriùs urgeo. *Gratiæ* vocabulum dicis sumendum esse pro *Gratia* Efficaci, uti Homo pro homine vero: non pro picto. Egregium sanè exemplum. Apagesis: Homo pictus non est homo. At *Gratia* inefficax est vera *Gratia*. Deinde desipis, dum inter Æquivocum & univocum nil ponis medium, ubi quæso ponis Analoga: eaque præsertim quæ proportionis dicuntur? An non hæc eâdem ratione qua Homo verus, & pictus conveniunt & discrepant, convenient, & discrepabunt? Præterea: utrum *Gratia* Efficax & *Inefficax* sint species unius generis? Perinde ac non sint. Cum multi Theologi velint, neutiquam nisi eventu effectuque differre. At illos tu non sequeris, nec ego quidem. Verum si Augustianus es, aut amas Augustianos, fateris debes *Gratiam Inefficacem*. & Efficacem tantùm modo & gradu distingui sicuti Calor remissus & intensus: nam *Gratia Inefficax* est *Inspiratio* tenuis, Efficax vero vehemens. Præterea falsum quiddam, & erroneum in tua argumentatione deprehendo. Ais enim *Efficax Adjutorium* significare quod melius est. *Inefficax* autem *quod re ipsa non adjuvat, & propter quod nihilo melius mecum agitur. Sed re vera pejus.* Parciùs ista *Thoma* Angle. Nam hæc duo, errores sunt duo, Gratia *Inefficax* juvat & ad juvandum

 datur:

datur: & cum ſit Inſpiratio Divina, non poteſt dici de ea, cum datur *nihilo melius mecum agi.* Alioqui dicas melius eſſe carere illa, & eſſe in nuda natura: & hanc per illam Gratiam non perfici, nec juvari. Jam vero quod ais: ſed *re verâ peius*: id omnino hæreticum, & horribile dictu eſt: atque adeo ad ſupremæ Inquiſitionis Tribunal Romam deferendum: & puro illo igni purgandum, nec te ratio excuſabit, imo gravabit dum addis: *Quia reum me neglecti auxilij peragit.* Hoccine ferendum? Gratia nos reos agit? Ea nos ad peccandum incitat? Nonne ea datur ad vitandum tollendumque peccatum? Ita nos docet Fides. Quod ſi nos eâ non utimur, culpa noſtra eſt, non Gratiæ defectus: cujus in nobis cauſa eſt, non in Gratia. Sed tibi aliud videtur: quo jure tu videris. Certè illatæ Gratiæ Divinæ *injuriæ* Reum te Inquiſitionis judicium peraget.

Ad caput quæſtionis redeo, ac te reduco. Quæritur, An in hac propoſitione ſit error. Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur? Et an eam affirmet Janſenius? Utrunque probatur in mea Cenſura Art. 3. nec opus eſt repetere hoc ſecundum. Conſtat enim Janſenium docere *Omnem Gratiam eſſe Efficacem.* Circa primum dixi Erraſſe Janſenium, non quòd dixerit *Gratiæ Efficaci nunquam reſiſti.* Sed quod abſolutè pronuntiavit *Gratiæ nunquam reſiſti*: quo negavit eſſe Gratiam cui reſiſtatur. Hinc enim ſequitur negare illum Gratiam Inefficacem quæ negari non poteſt. Et

hic

hic est error *Jansenij* quemadmodum accuratè monstravi, unde tota illa tua ratiocinatio tanto flatu & fastu turgida evanescit. Sed benè est: cum tubam infles *& ventos Secteris inanes*. Quid enim quæso opus erat de Æquivocis, de Univocis, de Adjutoriis intempestivè agere, cum in eo verteretur cardo rei. Utrum *Jansenius* admiserit Gratiam Inefficacem necne? Nam si admisit, negare non potuit, Dari Gratiam cui resistitur. Quod si negavit, & Gratiam Inefficacem negavit, atque adeo lapsus est; stat itaque Censura Pontificis de Propositione, & mea de Censura. Tuum vero de utraque judicium novo est Anathematis fulmine feriendum, cum Pontificis Constitutioni Propositionem excusando refrageris.

Sect. IV.

SECT. IV.

Flatus Quartus.

SEctione 4. Propositionem tertiam affers, & mecum ita de illius Censura contendis, ut tanquam adversus Herculem Cacus, fumo obscuritatis emisso, me suffocare coneris. Tantam in ejus examine tenebrarum noctem inhalas. Libertatis à me propositæ formas communes juxta geminas opiniones duas,partim improbas, & quiddam ambiguum pendens jacis, ceu aliquid novum mugineris. Tum incipis agere de necessitate : & multa debateras infelicissimè : & nihil ad rem. Cum enim Quæstio propria esset *utrum ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ in homine requiratur libertas à necessitate : an satis sit liberas à coactione?* Et Jansenius in Propositione affirmet non requiri libertatem à necessitate, quod sufficiat libertas à coactione : id que Pontifex condemnet,& ego probem: Tu omissâ propria quæstione tanquam fanaticus ad alia procurris & tot ambages nectis nt labyrinthum texere videaris. Unde fit ut mihi operosius

operosius sit ista viarum impedimenta evadere, quam Minotaurum quæstionis conficere. Filum arripio, & evolvo: ac errores in hoc labyrintho tuo demonstro. Dividis necessitatem oppositam libertati in necessitatem naturæ, & coactionis, & duplici exemplo utranque declaras, sive confundis. Proposito enim homine determinato, ais, determinationem *provenire, vel quia sunt plura de quibus non cogitat: vel quia si duo efferantur, inter quæ cæteroqui disputandum foret, unum illorum videt impossibile esse, quia fortiores causæ impediunt: unde fit, ut re ipsâ non nisi unum intelligatur propositum. Hanc necessitatem coactionis appellant: illam quasi naturæ, & naturalem.* Deum immortalem! Quod monstrum hoc est Philosophiæ. Certè solæ Eumenides hanc fœtum edere potuerunt. Itaque necessitas naturalis est, quando homini unum tantum intellectui occurrit? Ego eam ne simplicem quidem necessitatem esse concedo. Nam etsi unum occurrat, potest voluntas ab eo abstinere, & actum suum suspendere. Sanè sufficit ad libertatem potestas continendi actum: & est libertas quoad exercitium. Sed cum non occurrat nisi unum, non datur locus electioni. Concedo; non tamen ex eo sequitur illud unum necessariò eligendum. At unum tantum est, & illud offert Intellectus voluntati. Esto. Sed hoc unum si sit Creatum & Finitum non necessitat quoad exercitium voluntatem. Unde ergo necessitas existet? Perperam ergo à te, mi Thoma, inducitur necessitata voluntas

cum unum tantum offertur quod eligat. Nisi illud unum sit Deus clarè visus. Nam hoc bonum duntaxat necessitat quoad exercitiũ voluntatem. Juxta *D.*Thom. 3. cont. Gent. c. 62. & ib. Ferrar. Capr. in. 1. d. 1. q. 3. a 1. concl. 4. & 5. Dur. in 4. d. 48. q. 2. & d. 49. q. 8. n. ib. Mai. ib. d. 49. q. 8. Palud. q. 7. a. 2. n. 22. Cajet. 1. p. q. 82. a. 1. & 2.

Videamus quod sit secundum genus necessitatis? Nimirum quando efferuntur duo quæ eligi possunt: *Sed quia unum ex iis videtur ob impedientes causas impossibile, ad aliud determinatur voluntas.* Futilis sanè ratio argumentandi. Quia admissâ suppositione non sequitur volũtatem impedito uno necessario amplexuram aliud. Possunt enim ambò repudiari, cum neutrum illorum necessitet voluntatem; quòd sint objecta finita & creata. Unde utrunque exemplum est ineptum & absurdum.

Desipis etiam in eo quod ais: hanc secundam necessitatem esse coactionis; primam verò naturalem. Dato enim veras formas necessitatis esse, nullo modo iis conveniunt illæ duæ rationes, quas adhibes: nec te nosse puto quæ sit naturalis necessitas, nec quæ sit necessitas coactionis. Docebo id te, ut videas, quàm longè aberraris ab scopo. Naturalis necessitas est universim loquendo pondus & inclinatio naturæ ad id quod sibi est connaturale. Unde fit, ut naturæ propriè conveniat, non voluntati, sed quando hæc motu Spontaneo fertur in bonum necessario, dicitur hæc actio naturalis: quia

imita-

imitatur naturam volendo appetitu necessario bonum. Juxta doctrinam D. August. lib. 3. de lib. arb. c. 3. & Damasceni lib. de Fide. c. 28. & D. Thomæ. l. 2. q. 10 a. 1. & de verit. quæst. 22. a. 6. q. 24. a. 1. Unde Processio Spiritûs Sancti ab iis qui dicunt esse necessariam, naturalis appellatur, cujusmodi est D. Thomas. l. p. q. 61. a. 2. ad 3. Cajet. & Thomistæ ib. Canar. 2. p. Comment. Capreol. & b. q. 1. a. 1. concl. 3. & a. 2. in solut. & d. 10. q. 1. a. 1. Concl. 2. & 3. Gregor. in 1. d. 10. q. 1. a. 2. Quomodo igitur ais voluntatem, quando ei non offeruntur multa, sed unum tantùm, operari naturaliter circa illud; cum opus esset dicere illud unum in quod fertur esse tale, ut voluntas impetu quodam & appetitu spontaneo in illud ferretur; quod tu neutiquam affirmas, imo nec supponis illud quod est propositũ voluntati esse bonum tale, ut rapiat voluntatem, & determinet ad exercitium.

Jam verò quæ sit necessitas coactionis minus tu mihi videris intelligere: qui affirmas in secundo modo dari, quando concurrunt duo & unum apparet Impossibile, quia fortiores causæ impediunt, non restat nisi alterum amplectendum. Hoccine quisquam rabula vel circumforaneus Declamator dixit? Saltem hic clarius & nitidius exposuisset. Exponam ego, & tu audies, & disces. *Igitur* coactio, & violentia, idem significare apud *Philosophos* & Thologos constat. Unde cui violentia infertur, is cogi dicitur. Ita D. Thomas. 1. 2. q. 6. a. 4. & ibi Interpretes. & sanè D. Thomas in ea

 quæst.

quæſt. 4. a. 4. in corpore ait: *quod autem eſt coactum, vel violentum*, perinde ac idem omnino eſſet *violentum* & *coactum*. Coactio autem poteſt conſiderari, vel in actibus elicitis à voluntate, qui ſunt immanentes: vel in actibus ab ea tantùm imperatis. Primos non poſſe coactos aut violentos eſſe, conſtans eſt omnium Philoſophorum Theologorumque ſententia. Et patet ex ipſa definitione *violenti* ſive coacti, Communiter recepta, ex Ariſtotele deducta. *Violentum eſt quod eſt à principio* exrinſeco *paſſo non conferente vim, ſed reluctante*. Lib. 3. Ethic. c. 1. & 2. Ethic. ad Eudem. c. 7. vel 8. & l. 1. de Cœlo. c. 2. Ac eam ita compingunt Scotus noſter in 2. d. 29. q. 1. & Almainus ib. q. 1. a. 1. & latè probat Vaſquez in 1. 2. d. 20. c. 1. & 2. Hoc autem omnino eſt contra rationem voluntarij, cujus principium eſt intrinſecum, & actus elicitus activè à voluntate concurrente vitaliter: unde impoſſibile eſt, quod actus elicitus ab ea ſit coactus & violentus. Ita D. Thomas. 1. 2. q. 6. a. 4. Cajet. l. 9. q. 82. a. 1. Bonavent. in 2. d. 25. q. 4. & 5. Palud. q. 1. a. 1. concl. 2. Richard. a. 4. q. 1. & 2. Durand. q. 4. & in 4. d. 29. q. 1. Marſil. in 2. q. 16 art. 8. dub. 1. Mar q. 1. concl. 1. cum Scoto noſtro & Almaino proximè citatis. Omitto Recentiores citare, quia video te ab eorum lectione abhorrere. Unde patet, voluntatem quocunque modo neceſſitetur, cogi non poſſe, quoad actum elicitum: qui cum ſemper exeat ab ipſa voluntate, quod eſt illius

prin-

principium, & sit voluntarius, non potest esse coactus seu violentus.

Quoad Actus Imperatos gravior quæstio est, & tota scholasticorum, quos non amas: uno verbo dicam. Actus ipsius voluntatis elicitus respectu alterius imperati impropriè cogi potest, id est, cum ille deficit contra imperium voluntatis, dicitur pati voluntas contra quàm appetit; sed hoc non est propriè pati, nec cogi. An verò Deus possit se solo producere actum in voluntate contrarium alteri elicito, quia impossibile existimo cum Patribus Jesuitis inter quos feliciter operam Philosophiæ ac Theologiæ dedi, quæstione in hoc sensu supersedeo. Circa actus aliarum potentiarum qui imperantur à voluntate, & contra ejus imperium impediuntur, eadem ratio est, quæ de proximis imperatis à voluntate, nec enim, etsi resistat voluntas, cum per proprium actum resistat, propriè cogi dicetur.

Alia coactio seu violentia potest considerari in cessatione seu privatione actus: videlicet si Deus subtraheret suum concursum actui incepto, & debito manente objecto aptè proposito, vel sublato concursu impediret, ne potentia connatur aliter operaretur, videlicet negando *B*eato visionem Beatificam elicienti, concursum ad actum Amoris exercendum. De quo quidem controversia est: in qua Vasquez. 1.2. d. 26. c. 5. affirmat. Ego verò cum aliis negem; nam ubi non est principium necessarium ad actum, est potius defectus quàm coa-

actio & vis: imo cum detur concursus connaturalis, est privatio, vel cessatio, actus & in quo est ratio naturæ, id violentum esse non potest.

Hæc tu fortasse non nosti, quia scholasticos odisti: sed certa existima, & confer cum tua illa opinatione, cogi arbitriũ quando ex duobus objectis propositis alterũ impeditur, altero relicto. Nam ut cogeretur voluntas, quod fieri nequit, tum certè minimè cogeretur: nam remoto altero objecto circa alterum posset voluntas operari: & operando non poterat cogi in operando: imo neque remotio alterius objecti erat coactio, cum nec esset subtractio concursus connaturaliter debiti, nec privatio actus necessario cum antecedente connexi. Igitur nullo modo coactio interveniret: Imo ne necessitas quidem, cum voluntas circa alterum objectum posset voluntariè ac liberè versari.

Non minus infeliciter disputas de triplici necessitate *Peccandi vel Resistendi*. Et Primæ ponis exemplum in Beatis & Damnatis, & in utroque vehementer erras. Ais enim in Beatis esse inclinationem aliquo modo determinatam ad bonum cum, debuißes dicere omnino determinatam ad bonum, uti proximè ostendi, & docent quotquot de Clara Dei visione agunt Theologi. Ais deinde Damnatos esse inclinatos ad malum ex electione immutabili: ceu major esset inclinatio Damnatorum ad malum, quàm Beatorum ad Bonum: nam hos dicis inclinatos aliquo modo, *id est*, non omnino, illos autem dicis inclinatos *ex immutabili electione* cum

contra

contradicere debuisses. *Beatos* ex immutabili Electione esse inclinatos ad bonum Damnatos aliquo modo, addictos malo. Constat enim majorem esse inclinationẽ Beatorum ad volendum Bonum, quàm Damnatorum ad Peccandum. Illud item absurdè dicis *Damnatos* inclinari *ex Electione*, cum mali non sit Electio; nec illi jam tunc ex Electione sed ex desperatione & obstinatione peccent.

In secundo membro affirmas: cogi voluntatem per tentationem: cum quis non potest cogitare nisi de objecto Peccati. In quo bis falleris: nemo enim tentatus cogitur: & neminem tentationis objectum necessitat: non minus erras in exemplo Amentium, & motuum, qui primo primi appellantur, perinde æquè cogatur, qui tentatur mente validâ & integrâ voluntate: ac Amens qui utriusque impos est: & Sanus cui obrepunt naturales illi, qui rationem & libertatem prævertunt, motus: cum actus hominis mentis compotis, etsi urgeat tentatio, si sint deliberati, Peccata sint. Tertium necessitatis membrum adducis ex Præscientia, vel Prædefinitione: sed cum illa omnino stat libertas ad agendum. De illa major quæstio est, quam ut hic agitari possit.

Dum primum illud necessitatis membrum probare vis authoritate D. Thomæ, duos locos citas I. partis: alterum q. 62. a 4. alterum q. 63. a. 5. ais *in quorum altero definit Angelum meruisse in primo instanti: in altero non potuisse in primo instanti peccare.* Prorsus falleris in citatione primi loci: nam utrumque

que tradit D. Thomas in ſecundo, id eſt, q. 63. a. 5. in primo neutrum tradit. Aliud agis cum legis Authores. Uti apparet ex ſequenti citatione cum dicis Divum Thomam *Alibi Beatis negare meritum quia ſunt in termino*: nam divus Thomas ibidem, id eſt, ultimo & proximo quem citaras loco, id omnino negat. Unde hoc accidat tu videris.

Quid vero hic me urges exemplo Beatorum & Chriſti *Domini*, ad probandam libertatem meriti cum quæſtio non verſetur niſi circa meritum noſtrum viatorum in ſtatu naturæ Lapſæ? de qua & Pontifex primum cenſens & ego poſtea pendens egeram. Idque perſpicuè & compoſitò animadverti. Tum extra Chorum ſaltas, imo, & lampade aliunde accepta ineptè curris. Ac ne ego in idem quod tibi objicio crimen incidam omiſſis quæ his immiſces de ſententiis & authoritate *Divi* Thomæ, & aliorum Theologorum diſputans, ad id quod eſt hujuſce quæſtionis proprium venio.

Quæris ex me, quî probem Hæreticam eſſe hanc Propoſitionem? Quam quæſo? nam cum mea tam oſcitanter Legas neceſſe eſt eam deſignare. *Nimirum: Ad-merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficere libertatem à coactione, ſed etiam à neceſſitate.* Primum id mihi perſuadeo quià Pontifex definivit, quem judicem Controverſiarum in rebus Fidei, & doctrinæ uti Catholicus Romanus agnoſco. Tu verò qui eum eſſe negas, de veritate propoſitionis ambigis. Propter te & alios

ſimiles

ſimiles tui probavi argumentis eam Hæreticam eſſe, & Cenſuram Pontificis conſtare. Id verò D. Auguſtini, & Thomæ, & Academiæ Pariſienſis teſtimoniis, & Conſtitutionibus Pij V. & Gregorij xiii. contra Baium, & ex Concilio Tridentino monſtravi. Nunc verò dubitas, An ego rectè monſtraverim quòd putas, me Indifferentiam voluntatis ſtatuere voluiſſe: & objectas mihi hanc Indifferentiam, quaſi eam ego ſuſtinere vellem. Erras toto Cœlo, erras, Thoma Angle. Mihi Propoſitum fuit oſtendere libertatem ad meritum & demeritum cum neceſſitate ad unum inevitabiliter addicta in natura lapſa non poſſe conſiſtere, &, opinor, ratione & authoritate probavi. Ad id autem ego Indifferentiam non poſtulavi, imo neceſſariam *illam* ad conſtitutionem libertatis eſſe negavi, idque initio ſtatim quæſtionis propoſui: & diſtinxi inter Indfferentiam, & libertatem contra opinionem Patrum Jeſuitarum, quibus de Indifferentia non conſentio, de libertate à neceſſitate conſentio. Hæc ego clariſſimè cum dixiſſem, neminem de mea ſententia ambigere poſſe exiſtimabam: ſed tu in tanta luce caligaſti; & te noctuam, non Athenienſem tamen, præbuiſti. Itaque confundis libertatem cum indifferentia, & rurſum neceſſitatem cum coactione: cum dico libertatem, intelligis Indifferentiam, cum de neceſſitate loquor putas, me de coactione ſermocinari. Auribus lupum tenes: & præpoſterè agis. Nos quærimus de neceſſitate diſtincta à coactione tu non diſtinguis à coactione neceſſitatem. Ego non potui clariùs dicere, tu non potuiſti obſcuriùs accipere.

Ad calcem mecum expoſtulas, quod libertatem ad demerendũ & merendũ æquiparaverim, ac eodem modo ab utroque neceſſitatem removerim. Aisque cum neceſſitate determinante ad bonum citra conſultationem & electionem *eſſe ſummam meritoriæ dignitatis Apicem.* Erraſti Thoma Angle, & re & genere erraſti: qui ſummam Apicem meriti dixiſti, cum ſummum decere dibuiſſes. Sed homini infanti hujuſce Solæci gratiam facio. Illud non ignoſco, quod putas me cum ea, quam tu neceſſitatem appellas, ex determinatione ad Bonum, qualem recognoſcis in Gregorio Lupio negare meritum poſſe componi. Nec enim id nego, qui de Beatiſſimo Xaverio affirmo. Sed nego eam eſſe ſimpliciter, inevitabiliter neceſſitatem, cujuſmodi eſt quæ datur in Beatis: & quæ ex negatione Auxilij Sufficientis exiſteret, cum his enim duabus affirmo libertatem conſiſtere non poſſe: vel ad merendum, vel ad demerendum.

Quod adjicis de Coactione ad Peccandum, jam ſupra confutavi: Ac certum omnino eſt neminem cogi ad peccandum: imo ſi cogeretur non peccaret, nam ſi qui neceſſitatur non peccat, quomodo peccet qui cogitur? Itaque teſtimonia à me adducta probant Peccatum non ſolum cum coactione, ſed etiam cum neceſſitate antecedenti inevitabili minimè poſſe conſiſtere. Concludis *Pontificium Decretum manere omni prorſus à me defenſione deſtitutũ.* Nollem diceres *defenſionem* cum ego non adhibuerim *defenſionem*, qua non indiget Pontificium Decretum, ſed expli-

explicationem & commentationem. Quod objectas à me non rectè expositam Pontificis mentem, id prorsus nego, qui sciam fideliter explicasse, saltem nihil in ejus expositione à fide alienum dixisse: cujusmodi tu multa in hac tua opella effutiisti. De me contra quàm tu judicas, alij nobis opinor, ambobus doctiores judicarunt, meum qui judicium probaverunt. Tuum sanè probabit nemo, qui adversus mentem expressam Censuramque Pontificis tot & tanta inepta absurdaque dixisti. Summa est, *Mentem & demeritum in omni statu non solum cum necessitate, sed etiam cum coactione, quod non est ausus Jansenius posse consistere.* Hanc hæresim tuam cito Pontifex summus novâ Censurâ edita condemnabit.

SECT. V.

Sonus Quintus.

PRoponis hic sententiam tuam, recurrisque ad Sensum tertium necessitatis ex prævisione & præfinitione Divina. Quam obscurissime exponis, adeo ut qui frangere caput legentis velit, non

possit duriores lapides, quàm quos hic loqueris, invenire. Ac primum molestè & anxiè ratiocinaris de Fortuna & Casu referendo ad providentiam, de effectibus monstrosis deerrantis naturæ, de intentione circa eos Providi Authoris, de constantia Providentiæ, & de mutabilitate rerum, de necessitate & contingentia, sed omnino jejunè & implexè; ceu qui in Philosophia peregrineris. Compendium est necessarios esse effectus respectivè ad Causam Primam: Contingentes respectivè ad secundam. Satius erat quæstionem 22. 1. p. à D. Thoma de Providentia excitatam inspicere, ex qua disceremus quæ tu docere non potes. Quia tamen hæc longiùs posita sunt, ad actiones liberas accedamus.

Statuis ex vi Providentiæ non posse non sequi effectum, atque adeo esse necessarium. at verò ex vi Causæ proximæ posse non sequi, hoc est, esse Contingentem. Dici tamen hujusmodi effectum communiter contingentem, non necessarium. Nullam verò mentionem facis necessitatis Consequentis, quæ sola est ratio præsentem difficultatem tollendi. Hoc verò quod affirmas minus est certum quam existimas. Nam etsi certa sit ratio & infallibilis Providentiæ, non inde tamen sequitur, effectus respectivè ad ipsam esse necessarios: Audi D. Thomam q. 22. ad Primum, *Evenit infallibiliter & necessariò, quod Divina Providentia disponit evenire infallibiliter & necessario: & evenit contingenter, quod Divinæ Providentiæ ratio habet ut contingenter eveniat.* Et iterum ad secundum: *dicendum quod in hoc est immobilis & certus Divinæ Providen-*

videntiæ ordo, quòd ea quæ ab ipso providentur cuncta eveniunt eo modo quo ipse providet, sive necessario, sive contingenter. Nec enim Divina Providentia mutat res vel confundit. Adeo ut ipsa Divina Providentia non semper consequatur finem ad quem res dirigit, ut apparet in Reprobis Fidelibus quibus Deus dat media Gratiæ ad salutem æternam consequendam ad quam eos dirigit, nec tamen finem consequitur: uti contra Cajet. ostendit Vasquez. 1. p. d. 8. 7. c. 4. cum Durando in 1. d 39. q. 3. & d. 4 q. 1. Capreolo ib. d. 4. q. 1. a. 1. concl. 2 Marsilio q. 41. a. 1. Ferrar. 3. contra Gentes c. 49. & docet Divus Thomas in 1. d. 40. q. 1. a. 2. & q. 6. de veritate. art. 1.

Unde corruit quod ais Parag. *Libertas verò. Effectum liberum, ut talis est, non esse contingentem respectu Causæ Primæ; sed necessarium.* Est enim naturâ suâ liber: Deus autem non evertit naturam, sed servat. Quod affirmas de libertate haud penitus capio. *Libertas nullatenus dicit, vel facit ut Effectus possit non esse, sed ut sit unus ex pluribus, qui possunt esse ab hac causa.* Negas ergo libertatem contradictionis, quæ ad actum, & negationem ejus adhibetur. Quæro enim ex te, cum id proponitur quod unum est, & non necessitat voluntatem, videlicet *Auditio sacri*, qui non eum actum audiendi exercet, nòn facit, ut non sit auditio sacri? quod si facit ut non sit, etiam facit ut esse non possit. Id autem necesse est accidat in libertate quoad exercitium, quæ est contradictionis libertas. Nimirum ad actum & negationem ejus. Itaque illa tua prima Propositio falsa est dum ait, *Libertatem non dicere vel facere ut*

Effectus

Effectus possit non esse : nam hoc distinguitur libertas à necessitate, quod necessitas dicit & facit, ut effectus non possit non esse : Libertas autem ut opponitur necessitati, dicit & facit ut effectus possit non esse. Nec id Philosophus quicquam neget. Jam vero altera propositio tua in obscuro versatur. Ais quippe Causam, eo esse liberam quo dicit & facit, ut effectus sit unus ex pluribus qui possunt esse ab hac Causa. Rogo enim te de quibus effectibus loquaris? Fateris de Actibus voluntatis. Tum ego: Causa libera vel est quoad contrarietatem, vel quoad contradictionē. Si de hac loqueris, falsũ omnino, & adynaton affirmas; nam quando Causa libera exercet actum, hic & nunc singularem, & determinatum, non facit, ut ex pluribus quos potest elicere, unus potius, quam alter sit: cum hæc sit determinatio ad individuum quæ à *Deo* fit, non à Causa secunda, uti in libris de Physico Auditu docemur. Quare illa tua Propositio in hoc sensu est prorsus falsa.

Si autem intelligis de libertate contrarietatis & quoad speciem actus : ne tum quidem rem explicas : nam ratio cur voluntas exerceat actum, Amoris potius quam odij, non est in sola libertate voluntatis, sed sumitur ex cognitione objecti, & judicio de illo practico : ac in materia Gratiæ ex efficacia concursus auxilii uti tute fateris : *Ita*que ne hac quidem ratione exactè declaras naturam Causæ liberæ : cum præsertim verba tua priorem illum sensum indicare videantur : nam illa verba

verba, *ut ſit unus ex pluribus qui eſſe poſſunt, ab hac Cauſa* videntur loqui de effectibus individuis circa idem objectum, atque adeo individuis, quorum electio & determinatio ad *Deum* pertinet, non ad Cauſam liberam Creatam.

Nec omittam dicere, te perſpicue in hoc loco, tibi in altero contradicere. Hic enim ais Cauſam liberam non *efficere ut effectus poßit non eſſe*: & Parag. proximo *libertatis* dicis ad Contingentiam Cauſæ ſpectare, ut effectus poſſit non eſſe. Puto autem Cauſam liberam habere contingentiam in agendo: nec id tu inficiaris. Confer nunc utrunque dictum, conſtabit te penitus à te ipſo diſſentire.

Exire hinc volebam, ſed tot ſunt errores quos admittis, ut expedire non potuerim. In eodem Parag. *libertas* ad finem, ita de actu voluntatis noſtro libero & meritorio virtutis. *In nobis ſæpè contingens eſt, quatenus propter infirmitatem noſtram non ſemper volumus ſecundum naturam, ſed quod melius eſt. Itaque infirmitate noſtra fieri dicis, ut non velimus ſecundum naturam.* Quaſi verò natura noſtra in ſtatu ruinæ bonas inclinationes habeat, quas ſi ſequamur benè operemur. Cum contra ſit; ex quo enim natura Peccato eſt vitiata, ruit prona ad malum, quemadmodum ex motibus concupiſcentiæ, quibus incitamur apparet. Unde qui ſecundum naturam operetur, ejuſque depravatæ ductum ſequatur, nec *Dei* Gratia juvetur, is malè operabitur. Hinc illa vox Pauli, *Miſer ego homo, quis*

me

quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratiæ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Secundum hanc operari debemus, *Thoma Angle*, non ſecundum naturam: Hæc enim labitur & ad malum vergit & ducit. Gratia eam erigit, ſtatuit, dirigit, perficit: *Naturâ enim ſumus Filij iræ.* Paulo teſte: opus eſt Gratiâ ad iram avertendam: quam ſine adjutorio Gratiæ incurremus. Corrige igitur illud *ſecundum naturam*, ni velis ut te Semipelagianiſmi, quem mihi impingis, accuſemus. Vel adde, ſi nolis expungere *ſecundum naturam, Gratiâ reparatam.* Aliter non conſtabit ſententia: nam *Infirmitate noſtrâ fit, ut operemur ſecundum naturam, non ſecundum Gratiam*: Quod ſi per naturam intelligis naturam integram: memineris nos eſſe in ſtatu naturæ corruptæ: de qua Auguſtinus. Tract. 44. in Joannem *Peccante primo homine vitium pro natura inolevit.* Quod vitium ſanat Gratia, non natura.

Extrema pars hujus capitis verſatur in aſſignando modo quo Deus *determinat* voluntatem ad agendum. Ne vivam: ſi ego percipio quid ſentias: & puto neminem qui benè ſentiat, tua dicta percepturum. Primum ais *Deum non poſſe deficere in agendo in voluntatem noſtram: neque per hoc officere libertati, ſed eam perficere.* Hîc ex te quæro, quid eſt *Deum nunquam deficere in agendo?* An ſemper agit in voluntatem? ſi ais. Nego. Nam Deus non agit in voluntatem noſtram cùm peccamus. Opinor autem nos ſæpe peccare. Dices de bonis acti-

bus

bus te, non de Peccatis loqui. At ne sic quidem semper agit in voluntatem nostram: nam id agit per Gratiam: Hæc autem vel est Efficax, vel Sufficiens: Per Efficacem certum est non semper agere. Sufficientem tu non admittis. Et quanquam admitteres, non eam semper, sed certis temporibus Deus offert, uti principes illius Authores docent, Suarez Tom. 2. de Grat. l.4. c. 9. & 10. Vasquez in 1. p. Tom. 1. & omnes Anti-Jansenistæ, & alij quos cito in 2. lib. de Adjutor. c. 12. Quomodo ergo Deus semper agit in voluntatem?

Deinde rogo: quid est illud, per quod Deus agit in voluntatem? Id tu non exprimis. Ergo manet integra quæstio: nec constat: An illud per quod agit officiat libertati necne? Potest enim talis esse Prædeterminatio à Deo, ut libertatem tollat. Cujusmodi eam Calvinus ponit, quem sustulisse hoc modo libertatem nemo non fatetur. Imo sunt qui Physicam Prædeterminationem, qualem inducit Jansenius, auferre libertatem putent. Lege si placet Richardum, Annatum, Morainium, Thomam, Augustinum, & alios Clarissimos Antagonistas Jansenij, haud paulo opinor, quam te, Theologos meliores; quorum ego hac in re judicium probo.

Tertium ais, *Deum uti uno actu voluntatis: videlicet bono desiderio ad expugnandos alios, idest mala desideria.* Pergis dicere, *Deum semper uti voluntate, & agere in voluntatem per voluntatem, & nunquam*

quam contra voluntatem. Non eſt Theologi, nec Philoſophi iſta ratiocinatio. Nec enim Deus per actus, agit in actus: nec opus eſt eâ pugnâ ad agendum. Nam in Beatiſſima Virgine non erant deſideria vitioſa, & tamen Deus inſpirabat bona, in Virginis voluntatem. Nec actus unus alio, ceu clavus clavo, truditur. Alioqui cum malum deſiderium concipimus, Deus agit per illud in bonum, & expellit illum. Num quando actus unus virtutis ſequitur alium, ejicitur prior, ut poſterior ingrediatur? Præterea quid illud eſt *agere per voluntatem in voluntatem*? Ubi hoc audiſti? ubi didiciſti? Si Deus *agit per voluntatem in voluntatem* Certè volente agit voluntate: quòd ſi voluntas vult, cum per eam agit ut illa velit, opus eſt aliâ voluntate: quæ cum etiam ſit volens, indigebit aliâ: & ſic dabitur proceſſus in infinitum. Non ita Deus agit, ſed concurſu ſuo voluntatem agit & movet. Hujus tu nunquam meminiſti: cujus nemo Philoſophus potuit obliviſci. Ne illud quidem rectè, quod verum eſt, dixti: *Deum non agere contra voluntatem.* Imo quo tu dicis modo ſemper agit contra voluntatem. Cum tu dicas *bono deſiderio expugnare vitioſa.* Qui autem expugnat agit contra eum qui expugnatur. Imo te authore ſemper Deus agit contra voluntatem; cum ſemper *uno utatur actu ad impediendum alium.* Vides in quas te anguſtias conjeceris? Adhuc urgeo. Adjicis paulo poſt *Deum determinare voluntatem per voluntatem*: ergo determinat per id quod maxime libe-

rum est, & minimè determinatum. Hoc autem quis ferat: Principium Indifferentiæ esse instrumentum determinationis? Jam quod subjungis *Per desideria superat contraria desideria ipsius*. Penitus evertit quod antè dixeras: *Nunquam contra voluntatem*, & confirmas quod ego adversus te intuleram.: *Imo semper contra voluntatem*, quoniam semper *expugnantur* te authore desideria, *& superantur*. Et hoc quidem quod voluntas contra voluntatem agat, experimur in motibus contrariis concupiscentiæ, & virtutis, & in perpetua pugna intestina appetitûs Inferioris & superioris: quam proponit D. Paulus c. 7. Epist. ad Romanos. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum hoc ago, &c.* Et *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Eam Augustinus describit variis locis. *l.* 1. de serm. *Dom.* in monte. Serm. 6. & Ser. 13. de verb. Apost. & lib. de Spir. & Lit. c. 28. & c. 35. & Comment. Epist. ad Galatas. & Serm. 44. de verb. Domini. & in Enchir. c. 81. & Tract. 49. in Joannem. & alibi. Unde patet voluntatem agere contra voluntatem. Neque verò hinc deducas me mihi contradicere, quòd supra dixi actus non agere in actus: non enim nego ad positionem actus contrarii, expelli oppositum, sed nego id necessarium, & perpetuum esse, ac inficior Deum per actus operari, cum per concursum suum immediatè operetur actum cum voluntate: cujus tu concursus Divini nullam prorsus mentionem fecisti.

Concludis: *Quodcunque itaque Deus agit, voluntas agit.* Ita loqueris ac si Deus prior determinet voluntatem. Quomodo igitur erit Potentia libera? Et quando voluntas peccat, quomodo agitur à Deo, qui non est ullo modo author peccati? Sed hæc levius objicio. Illud vehementer: te cùm sermo sit de merito & operibus bonis, nil omnino de motione & auxilio Gratiæ commemorasse, ceu nullæ illius partes essent, cum præcipuæ sint. Adeo ut in tota ratiocinatione tua longa, & præmeditata nullum prorsus verbum de Gratia emiseris. Et tamen homo vanissimus audes me Semipelagianum appellare, cum nemo magis Augustinum amet & sectetur, uti mea scripta testantur. Id ego lector optime, tibi confirmo: putasse me cum hanc mei Censoris Sectionem Legi, in libellum aliquem Pelagii, aut Celestij, Julianive incidisse.

Quod affirmas *Deum inerranter in hoc progressu ferri.* Id ego maximè inficior, quia si ille ita progreditur, uti tu fingis, irremeabiles errores texit & retexit; Itaque Deo qui errare non potest, tu errando errores affinges. Recurris de novo ad prævisionem *Dei intelligentis*, ut ais, *quæ desideria & quibus modis victricia futura sint, quæ infirmiora, & cessura*: et hanc vis dicere necessitatem, quòd sit Dei scientia infallibilis: addis enim *Effectus liberi necessitas ex inerrantia Dei.* Spurcè loqueris: ne terminos quidem Philosophiæ usitatos usurpas. Verum quid dicas percipio: nam adjungis hoc esse de

de

de Fide, nempè quod *hæc necessitas stet, cum merito & demerito.* Igitur ceu rem magnam affirmas necessitatem ex præscientia *Dei* non auferre libertatem. Ecquis hoc unquam Theologus negavit?

Non est *Thomæ* hæc necessitas, de qua in quæstione de merito agitur: nam præscientia Dei non imponit rebus necessitatem, imo supponit res sive necessarias sive liberas quas præscit. Unde Præscientia ista *Dei* non est Causa rerum; nec res ideo sunt, quia præsciuntur, sed ideo præsciuntur, quia sunt. *Doceat* id te ex antiquis Augustinus l. 3. de libero arb. c. 3. & 4. & Boetius Prosa. 6. lib. 6. de Cont. Sol. *Damascenus* contra Manich. propè med. Anselmus in Elucid. Beda lib. variar. Quæst. 13. ac ex recentioribus quos voles. Non quæritur de hujusmodi necessitate, quæ omnino consequens est, & aliena est à quæstione. Sed de necessitate antecedente compellente voluntatem ad actum. Cujusmodi sunt illæ de quibus tu egeras Sect. 4. & agunt Authores, qui disputant de Prædeterminatione antecedente actus voluntatis: & specialiter de motione Gratiæ Efficacis, per quam inferri necessitatem voluntati affirmant Lutherus, & Calvinus, *Bucerus*, & Melancthon, & Beza, & alii quos citant Stapletonus in Prompt. Fer. 6. in Hebdom. 1. Quadrag. & Roffens. art. 36. cont. Luther. & Ruard. a. 7. & Bellarm. l. 1. de *Grat.* & lib. arbitr. c. 11. & l. 4. c. 14. & Suarez. 2. Tom. de Grat. l. 3. c. 4.

De hac necessitate quærimus, quæ est ratio prædeterminans antecedenter, ac ita prædeterminans, ut voluntas non possit resistere virtuti efficaci sibi met impressæ. Quæ tamen non est coactio, nec violentia quæ in voluntatem non potest cadere. De hac tu nec my, nec ry, ut par pari reponam, quod te mordeat. Et quidem Summus Pontifex hanc necessitatem distinctam à coactione, tanquam veram necessitatem agnovit: & à merito, demeritoque removit, contra Jansenium asserentem cum ea stare meritum posse, ac demeritum, quæ cum sola necessitate coactionis negabat posse consistere. Tu ineptè agis, dum de re non agis, & aliena invehis, ceu somniares.

Risi & quidem effusè cum incidi in illa tua verba. *Credo siquidem esse verum difficultatis cardinem; & solum quem sanctus Augustinus in peccatis inesse credit.* Non video cujus Portæ cardo iste sit: nam tu ostio scientiæ aberras: nisi forte sit Cardo illius quam Æolus ventis aperit, ut *Quà data porta ruant.* Audio enim te ventosum esse hominem, & auram popularem captare. Cur hic Augustinum citas, ignoro, non solet ille pro foribus scientiarum stare habitat in Cortina Divi Pauli, & in Tertio Cœlo est. Tu nec eum intimè nosti, nec citas. Sanè qui mentem Innocentij, qui meam expositionem non tenuisti, Augustini sensa eruere non poteris.

Claudis hoc infelicissimum caput, sectionemve Basilicâ Asseveratione. *Tandem advertendum est, inquis,*

inquis, cum Sancti de necessitate indistinctè loquuntur, de coactione, vel semper, vel frequentissimè intelligendos esse. Non credam nisi prius mihi dixeris: *ubi sunt Sancti? & An sint Sancti?* In Purgatorio ne, an in Limbo, nam in Cœlo esse tu opinor, negabis. At verò in Purgatorio vincti sunt, & nos de libertate agimus, necessitate exclusâ. In Limbo autem inter Infantes, infantes erunt: nec poterũt quærentibus respondere. Cita sigillatim, cùm allegas. Aliter tibi non credemus, etsi per stygiam paludem jures. Hæc tamen Assertio Jansenistam te probat errantem, quòd ille hoc ipsum affirmat, sed magnâ eruditionis ostentatione. Si cum illo agerem eruditè & copiosè refutarem. Sed ne videar tibi hoc affirmanti connivere', relinquo te castigandum Patri Antonio Moraines, Egregio Jansenij antagonistæ, qui te doceat Sanctos quos appellas, non de Coactione, sed de necessitate alia antecedente & prædeterminante intelligendos. Lege Disput. 32. & 33. & 34. De Augustino consule meam Cortinam quæstione de necessitate & libertate Peccandi. Audies eum necessitatem aliam à Coactione agnovisse, & à merito, & de merito exclusisse.

SECT. VI.

Flatus Sextus.

DE 4. Propoſitione ſic judicas. Primam ejus partem de ſententia Semipelagianorum circa initium Fidei & actus ſingulos: An ad ea Gratiam exegerint, necne? cenſes alienam eſſe à Cenſura propter rationes à me factas. Addis de tuo: *Eſſe item à noſtro propoſito alienam.* Quod à me acceptũ fateris probo: improbo quod vendicas. Nam illa quæſtio rem magnam continet, ac è re noſtra, id eſt, de re Gratiæ, imprimis eſt. Atque idcirco de ea ſummâ ope contendunt duæ nobiliſſimæ ſcholæ, Thomiſtarum, & Jeſuitarum, quemadmodum ego accuratè oſtendi. Idque vidit acutè Janſenius: cum enim conſtet Semipelagianos erraſſe circa Gratiam, & dubium ſit erraríntne circa rem, an modum, id eſt: An omnino negando neceſſitatem Gratiæ ad illos actus, an talem ſolum formam Gratiæ ponendo, quæ concomitans ſit & pendeat à voluntate; ſi hoc ſecundum detur, ſequitur ejuſmodi formam Gratiæ ſuſpectam eſſe, ſin

ſin neceſſitatem Gratiæ negarunt, hanc ſuſpicione liberari; quòd errarent, Gratiam, id eſt, rem tollendo, non modum ſuſpectum inducendo. De hoc autem magna lis eſt inter Patres Thomiſtas, & Jeſuitas, doctos ſanè ac eruditos viros; Thomiſtis affirmantibus eos admiſsâ Gratiâ peccaſſe in modo: Jeſuitis negantibus, errraſſe excludendo prorſus Gratiam, non inducendo modum. Quid utriſque propoſitum ſit minus tu fortaſſè intelligis: quem video hac in doctrina de Prædeſtinatione & Gratia hoſpitem eſſe: at ſcio ego, & ſenſit Janſenius, & ipſi diſputantes optimè norunt. Nam niſi magnum aliquid ſequeretur, non tam illi de re longius poſita acriter dimicarent. Equidem ego quid ſequatur ab eo volo abſtinere, & in ea quæſtione ventilandâ tunc abſtinui: tantùm meum judicium ingenuè, ac ſyncerè protuli, quem modum ex Auguſtino, & diſcipulis didiceram.

Tranſis ad alteram quæſtionem. *An Efficax Gratia talis ſit, ut poſſit humana voluntas ei reſiſtere, vel obtemperare?* Ais verò me cenſere: *Omnes Catholicos unanimi hoc conſenſu affirmare.* Nunc primum mentem meam rectè intellexti: & expoſuiſti: Ita ſentio. Quid verò tu ſenties videamus.

Negas igitur meam veram eſſe Cenſuram: & aliud judicas: nimirum *Gratiæ Efficaci non poſſe reſiſti in quacunque ſententia.*

Atque adeo Pontifici Innocentio contradicis con-

demnanti eum qui neget posse resisti *Gratiæ*, id est, *Efficaci*: nam Inefficaci resisti nemo negat. Sed quomodo tu me impugnes oportet inspicere. Ais: *Quære itaque ab iis qui Gratiam ab eventu Efficacem esse contendunt*, de quibus *ipse quod concedis dicant Gratiæ Efficaci nunquam resisti.* Etsi minus Latina periodus constat (cujusmodi tuæ esse solent) teneo tamen sensum tuum. Hic observo te velle tacitè Nobilissimos aliquos Theologos Jesuitas taxare, perinde sint in ea sententia Efficaciæ ab eventu, eamque Sect. 6. ad fine errorem vocas. Ut sint Catholici qui in ea sint, Certe Patres Jesuitæ Effectui nudo Efficaciam non assignant. Omnes aliquid, & magni momenti, uti putant, addunt, id est, Præsidium à congrua opportunitate, & circumstantiis prævisis scientiâ conditionatâ, & ex voluntate Dei volentis eam Gratiam opportunè dari. Id te docebit summus Theologiæ Magister Suarez, Tomo. 2. de Grat. l. 5. c. 27. & 46. usque ad lib. Finem. & P. Martinonus sive Antoninus Moraines in suo Antijansenio disput. 27. Sect. 4. & Sequent. nec ego pag. 29. dixi, hoc quos tu tibi fingis Theologos in Eventu Efficaciam ponere. Soleo enim in referendis Authorum Sententiis circumspectissimus & fidissimus esse: sed id tantum dixi: *Hanc Propositionem Gratiæ Efficaci nunquam resistitur in omni sententia veram esse, cum affirment Gratiam Efficacem semper habere actum & effectum: undecunque tandem Efficacia proveniat.* An hoc est dicere: Efficaciam

Gratiæ ab eventu esse ? Minimè quidem. Nam cum ego dicam in omni sententia efficacem Graticaciam effectum habere, & sit sententia negans esse Efficacem ab effectu, patet eam non ponere efficem in eventu. Deinde satis ego expressi in eo convenire duas illas sententias oppositas, ut Gratia Efficax semper habeat effectum suum. An autem ab effectu, an aliunde sumatur Efficacia ? id ego non examinavi: nec enim è re erat. Idcirco prudens adjeci. *Undecunque tandem Efficacia proveniat.* Igitur volui abstinere à quæstione; & sumere quod utrique concedebant. Propono tibi exemplum familiare. Omnes Philosophi concedunt Quantitatem esse loci repletivam. Dubitant in quo ejus essentia consistat ? Utrum in extensione partium integrali, An repletiva loci ? Intellige aptitudinalem. Tum ego dicam: quantitatem in omni sententia replere locum. An quia hoc utraque sententia mihi concedit, idcirco concedit essentiam Quantitatis in ordine ad locum consistere ? Ne quaquam sanè. Utraque illum admittit effectum, undecunque tandem ille proveniat. Utraque concedit Quantitatem esse loci repletivam: sed non in eo utraque ejus naturam constituit.

Hoc refutato adverto me dixisse. *Gratia Efficaci nunquam resisti*: & de actu non de Potentia dixisse. Maneat interim à me dictum non esse: *Gratiæ Efficaci nunquam potest resisti*: sed *nunquam resisti*. Et quidem negasse *actum* resistendi, *non potentiam*

resistendi. Pergo nunc, & te sequor. Prosequeris, *Possuntne hi dicere resisti posse Gratiæ Efficaci, absque eo quod dicant, eventum posse non esse, dum est, seu quod est, dum est, non necessariò esse?* Paralogizas *mi Thoma*, & falleris, & vis fallere. Sed periodum absolvamus. *Unde si libere arbitremur, illis propositio affirmativa magis impossibilis est, quam Thomistis; his enim propter formalem impossibilitatem, negativa propositio amplexanda est.* Placet ab hoc postremo incipere, quod pertinet ad sensum Authorum, deinde redire ad sententiam tuam: & illius rationem vimque expendere. Duo ais de Authoribus Efficaciæ ab eventu: quos significas ex Thomistarum comparatione Patres Jesuitas esse: quibus magnam injuriam facis, dum iis eam opinionem attribuis, uti animadverti, Citatis duobus illis autoribus. Jam igitur falli, & fallere incipis: nec enim ij Efficaciam Gratiæ in solo eventu constituunt, sed in congruitate prævisâ, & destinata à Deo quæ etsi gratiæ vim reipsa non augeat, auget tamen beneficium. Unde semper illa est major in ratione beneficii, quanvis non sit in ratione Auxilij major. Hæc est germana Patrum Socretatis sententia: quam ego apud ipsos didici, atque adeo certus dico. Dabo tamen Authores quos videre, qui volet, possit. Suarez opusc. de Auxiliis, & in summa lib. de Prædest. & tract. de scientia Dei. & 2. Tomo. de Grat. in Prologom. & l. 5. de Gratia Efficaci. Vasquez. 1. p. d. 96. & sequent. & 1. 2. d. 1. 83. Bellarm. l. 4. de Grat. & lib. arbit. & de amiss.
Grat.

Grat. l. 2. Valent. l. 2. 1. p. q. 14. Herice. 1. p. disp. 7. c. 6. & disp. 23. c. 9. Præpos. ib. q. 22. a 4. dub. 4. an. 44. Alarcon, tract. 4. de Prædestin. d. 1. c. 6. Becan. opuscul. de Auxiliis Grat. Mæratium d. 6. de Grat. s. 18. 20. Franciscum Gonzalez d. 2, lib. 2. Physic. Annatum lib. de scient. conditi. & in Augustino vindicato lib. 7. c. 9. & 10. Thoma in Augustinum sive P. Bagossium in sua Defens. c. 21. per totum. P. Martinonum sive Moraines d. 27. Latissime. Imo Molinam & Lessium qui in eam magis inclinarunt sententiam hoc modo intelligendos esse affirmat Suarez & Moraines citati.

Sed demus eos, ita ut vis, sensisse. Idcirco, longius à tua opinatione recedunt. Imo ut recederent à necessitate antecedente Gratiæ Efficacis illum dicendi modum invexerunt. Nam quia Lutherus, & Calvinus & sequaces talem vim moventi, & trahenti Gratiæ dabant, ut per eam necessitaretur voluntas, & libertatem amitteret, omni merendi ratione sublatâ, & quia Paædeterminatio Physica iis videbatur ab illa hæresi non satis distare: excogitarunt Gratiam illam congruam cujus usus, vel non usus esset in potestate voluntatis. Itaque ex ejus cooperatione Efficaciam esse spectandam, cum illam ex se Gratia non daret. Tu verò vis ut ista Gratia cum qua necessitas non potest consistere, tantæ necessitatis sit, ut ei voluntas resistere non possit. Imo addis minus excludi necessitatem ac hac acceptione Gratiæ congruæ,

 quam

quam ab illa Thomistarum prædeterminante, Quo nihil dici absurdius, & insolentiùs potuit.

Placet originem erroris tui aperire. Est autem, uti supra tetigi, duplex Ignorantia, altera necessitatis, & Antecedentis, & Consequentis: altera senus divisi & compositi. Igitur est necessitas antecedens actum quæ determinat voluntatem ad unum, & facit vi quadam inevitabili ut voluntas unum tantùm eliciat actum, & eripit ad alium potestatem. Cum hac stare non potest libertas. Hujusmodi erat Gratia, quam ponebat Lutherus, & Calvinus: quam Concilium Tridentinū & Senonense damnarunt, quemadmodum ostendi in illo meo Articulo 5. Hanc item Patres Jesuitæ acerrimè, & summo jure impugnarunt. Imo & hi *P*rædeterminationem Thomisticam, quòd proximè videbatur ad necessitatem accedere, rejecerunt. Nam hæc virtute suâ antecedenter impressâ determinabat voluntatem ad actum virtutis: quâ positâ non erat in potestate voluntatis vel alium elicere, vel illum non exercere. Ita dederunt formam Gratiæ, quæ indifferentem voluntatem relinqueret, eamque comitaretur operantem pro sua libera potestate. In quo non erat necessitas Antecedens. Quod autem secutâ operatione liberâ in actu secundo, jam tunc existente actu facta compositione & suppositione quod existeret actus, non posset non esse, & videretur transire de libero, & contingente in ne-

cessa-

cessarium, *id* erat necessitas consequens, quæ non aufert, nec lædit libertatem.

Hæc distinctio necessitatis Antecedentis & Consequentis: Alteram postulat veluti comitem, quam etiam tute *Thoma* aut minus nosti, aut nosse dissimulas: *Sensus compositi & divisi*, qua maximè hac in re utuntur ambæ scholæ. Sensus divisus est simplex, cum res sumitur secundum se, uti est, primo intuitu spectata, nullâ factâ suppositione aut reflexione supra se ipsam; nec componendo eam, aut comparando secum: Compositus est cum res sumitur cum reflexione & comparatione ad se ipsam. Videlicet: Res contingens simpliciter potest non evenire, supposito tamen quod evênit, non potest non evenire. Ille prior est Sensus divisus, iste posterior est compositus. Ita Actus liber secundum se potest non esse, sed ut præscitus est à *Deo* non potest non esse. Unde in Sensu diviso est liber: in composito, uti præscitus, necessariò erit: sed necessitate etiam consequenti. Hinc sequitur neque necessitate consequenti, nec sensu composito auferri, lædive libertatem: iisque mutari status, non naturas rerum. Propono tibi *Thoma Angle* simile quiddam ex Logica: ut melius percipias. Video enim te in his esse tyronem. Propositio ista *Homo est albus* est contingens, ista verò *Homo albus est albus* est necessaria: non idcirco tamen quod hæc est necessaria *Albus est albus* non est illa prior non contingens *Homo est albus*, nam hæc reflexio, & compositio est extra primum subje-

ctum,

tum, & non evertit simplicem connexionem. Ita suo modo: Res contingens secundum se in sensu diviso potest non esse, id est, in actu primo. At cùm jam est in sensu composito & in actu secundo est necessariò; sed necessitate tamen consequente: quæ non evertit simplicem libertatem.

Maneat ergo necessitatem Consequentem, & ex suppositione non tollere libertatem. Ac te graviter omnino ac turpiter ex incogitātiáne an ignorantia errare. Nunc quid Patres Jesuitæ de hac sua Gratia & integra cum ea libertate sentiant, audi ex eorum Principe Authore Francisco Suario. Tomo 2. de Grat. lib. 5. c. 39. n. 9. pudeatque eo audito imperitiæ, ac temeritatis tuæ.

Tertia, inquit, *pars erat de vocatione Congrua: distinguenda enim vocatio illa vel per se, & secundum entitatem absolutam: vel prout involuit habitudinem congruitatis. Priori modo spectata non habet per se ac necessario quod sit Efficax. Unde illi potest homo resistere, & dissentire si velit, idque velle potest simpliciter loquendo etiam in sensu composito.* Vide quàm procul sint Authores Gratiæ Congruæ ab admittenda tuâ illâ, quam intrudis necessitate; ut neque in sensu composito eam admittant, quia est necessitas consequens, non antecedens.

Pergit. *At verò*, inquit, *considerando vocationem congruam, ut congruam, & sub habitudine quam sub ea ratione involvit, & sub hac formalitate, talis vocatio est Gratia Efficax, & illi resisti non potest, & simpliciter homo non potest illi dissentire; quia jam invovlit*

sensum

sensum compositum. Aures nunc aperi: & doctrinam meam ex ore Suarij hauri. *In quo sensu etiam est impossibile hominem cum illa vocatione non consentire, sine præjudicio tamen libertatis, quia illa suppositio sub illa formalitate non est suppositio antecedens simpliciter, sed consequens, quia supponit usum libertatis futurum cum auxilio simultaneo. Et licet vocatio Congrua etiam ut congrua præcedat influxum liberi arbitrij, ut in re ipsa datur, non tamen præcedit illum ut futurum, imo supponit illum in præscientia præsentem, & ex hac parte est suppositio concomitans, ex qua solùm sequitur necessitas consequens, quæ libertatem, quam supponit, non aufert.* Vide in Suario quid ille sentiat, & uter melius sentiat Tu an Ego. Et ab hoc uno Authore *disce omnes.* Idem tradit c. 29. n. 11. & c. 53. n. 31.

Jam verò Thomistæ admissâ illâ suâ Prædeterminatione Antecedente, quæcunque illa tandem sit, (nam id non est hujus loci) necessitatem antecedentem omnino excludunt quòd sciant per eam auferri libertatem; distinguúntque duos sensus compositum & divisum aptè excogitatos adversus illam necessitatem: aiuntque in sensu diviso cum illa Prædeterminatione stare potentiam ad utranque partem, sive contrarietatis, sive contradictionis, pro natura & conditione actuum, quæ ad libertatem satis sit. At verò in sensu composito fatentur amitti illam potestatem ad utrunque, salvâ tamen libertate, quod illa sit necessitas Consequens, à qua nihil timent libertati. Et hac distinctione se

muniunt adverſus argumenta eorum,qui iis objiciunt antecedentem nece ſſitatem. Ac ne de mea Fide dubites, etſi idoneus teſtis ſim: volo Authores producere ex eadem ſchola præcipuos, qui fidem mihi apud te concilient. Hi ſunt Medina l. 2. q. 10. a. 4. Bannez 1. p. q. 14. a. 13. dub. 2. concl. 3. & dub. ſeq. & q. 19. a. 3. & 4. & q. 23. a. 3. & 5. & in 2. 2. q. 1. a. 1. docum. 3. Auila. in opuſc. c. 13. 22. & 27. Cabezudo 3. p. q. 62. a. 5. q. 2. ad 8. & 11. Didacus Alvarez ſuper Iſaiam c. 10. &. l. 1. de Auxil. & l. 9. d. 83. Petrus Ledeſma Tract. de Auxil. & a. 1. 5. & ſeq. Zumel. 1. P. q. 14. a. 13. q. 19. a. 8. & q. 23. a. 5. & l. 2. q. 3. a. 3. d. 5. & in opuſc. Tomo. 2. d. 5. concl. 3. Cabrera. 3. p. q. 8. a. 4. latiſſime & q. 62. a. 1. d. 8. & alii complures cum Patribus Excalceatis in ſuo Curſu Theologico ad 1. p. Idem te docebunt Patres Societatis adducti, dum eorum ſolutionem impugnant. Vide quanti momenti ſit iſta quæſtio, in qua tu tam ineptè ac futiliter verſaris: & omnino tollis eam libertatem, quam omnes conantur ſuſtinere; imo vis, ut in neutra ſententia ſit locus libertati, cum utraque velit excludere neceſſitatem. Sanè ſi tua ratiocinatio vera eſt: nec niſi illo modo quem ſtatuis, de libertate ac neceſſitate Philoſophari poſſumus, de medio tollitur omnis contingentia, & libertas, & ſola neceſſitas dominatur. Nam ſi res ſemper ſumuntur in ſenſu compoſito & reduplicativo, uti de Gratia ratiocinaris *Efficax* ut *Efficax*, *Efficax ut talis*, nec eſt locus Senſui Diviſo, & ſola

eſt

eſt neceſſitas Conſequens, & hâc eſt metienda libertas & contingentia, nihil eſt in rerum natura niſi neceſſarium. Atque adeo omnia Fato aguntur, uti Priſcillianiſtæ, & Manichæi olim, & hodie Lutherani, et Calviniani affirmant. Sed tu adhuc iis infelicius, quoniam illi ex antecedente vi, & neceſſitate Fatum aſtruxerunt, tu ex conſequente inducis, & implicaris in adjectis; vis enim, libertatem tollere eo, per quod illa non tollitur, id eſt neceſſitatem Conſequentem.

De me, ut libet ſentias, qui enim tam malè de aliis judicet, eum de me bene ſentire nolim. Id affirmo, me, Auguſtinianâ Efficaciâ inductâ, quæ major eſt illâ congruâ minor illâ Prædeterminante, uti in Cortina mea expoſui, omnem neceſſitatis Antecedentis ſuſpicionem removiſſe; conſequentem, quæ impertinens eſt, ad quæſtionem cum Thomiſtis, & Jeſuitis Patribus neglexiſſe, quòd ea non lædat, nedum auferat libertatem. Nec tu me Unum hac ratione impugnas, ſed omnes prorſus Theologos impugnas: nemo eſt enim quin dicat modò Catholicus ſit, Gratiam Efficacem non auferre libertatem.

Jam quod ultimò ais, *Hæreticum eſſe dicere voluntatem reſiſtere poſſe Gratiæ efficaci, ut tali, & quando eſt talis.* Utcunque vera ſit Cenſura, non vides ad ſenſum compoſitum pertinere, & non ſimpliciter, ſed reduplicativè ſumi, *Efficaci* ut *Efficaci*? In quo ſenſu etiam *Homo Albus ut talis, eſt Albus*: Propoſitio neceſſaria eſt. Moneo tamen te ne

hic quidem rectè dixisse. Ita enim proponis, ac si eadem ratio sit de utraque Propositione: nam duæ hîc sunt Propositiones. Una, *Voluntas resistere potest Gratiæ Efficaci, ut talis est.* Altera, *Voluntas potest resistere Gratiæ, quando Efficax est.* Tu putas nihil inter utranque interesse, cum multum intersit. Nam illa prima involuit omnino reduplicationem, & sumi debet in sensu composito, & non potest negari; quia unius tantum capax est sensus compositi & Reduplicativi. At verò secunda adhuc non includit reduplicationem, nec excludit sensum divisum; nam illud *quando* significat tempus quo Gratia Efficax est, & connotat actionem in ea differentia temporis. Cum verò tempus duo admittat instantia, potest considerari illa Gratia in actu primo & in actu secundo: & in primo verum est dicere juxta sensum divisum quòd *resisti possit Gratiæ* Efficaci, imo ita dicendum est. Cum simpliciter verum sit illam Gratiam ad actum liberum concurrere & actum illum cum ea Gratia elicitum absolutè liberum esse. Nescio an istas subtilitates ingeniũ tuum ferat, sed opus est iis uti, ut scias quid intersit inter utranque, Futilitatem, et subtilitatem, non quod ego subtilis sim, sed quod præ te quivis, opinor, subtilis, videri possit. Itaque absolute ac simpliciter dicendum est *Gratiæ Efficaci, potest resisti.*

Venio ad tuam expositionem.

Ais hunc esse sensum Catholicum: *Gratia efficax est talis, ut antequam sit efficax, hoc est, completa*

& integra ei resisti possit, hoc est dum adhuc Inefficax est.

Primum supponis *Gratiam* transire de Inefficaci ad efficacem. Per quid autem fiat Efficax non dicis. An per entitatem intrinsecam, an per effectum? Utrum libet autem dicas, non rectè dixeris. Nam quo modo potest componi Gratia ex *Inefficaci* & *Efficaci* juxta tuam doctrinam Sect. 8. nempe *Inefficacem verò esse qua mihi pejus est.* Et Efficacem verò esse, *qua mihi melius* rursum est: quæ duæ rationes *Pejoris* & *melioris* nescio quomodo in eandem rem quadrent? Præterea ibidem docuisti vocem Gratia esse Æquivocũ, & non convenire propriè nisi *Efficaci*. Nunc autem doces Inefficacem *Gratiam* fieri completam & integram secundùm Efficaciam, seu Efficax sit major & intensior. Hac autem ratione tibimet ipse contradicis. Nam si Inefficax est Gratia remissa, est vera, & propria Gratia: quemadmodum Calor remissus est verè ac propriè Calor.

Probas hanc Propositionem: *Gratiæ Inefficaci potest resisti.* Exigo amplius. Nam id est Parum. Imo Omnes Theologi addunt *& resistitur* Itaque jejunè dicis, & ineptè dicis: nam cui resisto, de eo supervacaneum est affirmare *me posse resistere.* Disce hinc de Gratia Inefficaci verum esse pronuntiare *Cui resistitur.* De Gratia autem Efficaci, *non resistitur*; *sed potest resisti*. Quod si præ oculis haberes istam distinctionẽ Actus & Potentiæ rem sanè acu tangeres: & utriusq; Gratiæ discrimen

 teneres

teneres, nec uti Andabata, mecũ hoste oculato impar confligeres. *Inspice* illam, & concedes Gratiæ Inefficaci *Resisti quidem actu*: Efficaci *non actu resisti*, sed *posse resisti*. Hac ratione jungemus *In mutua fœdera dextras*: & tua permagni interest: nam non à me solum, sed à Pontifice discrepabis definiente Errorem esse dicere: *Gratiam talem esse cui non possit resisti*. *In* quem tu omnino laberis, retentâ illa acceptione Gratiæ *pro Efficaci*, & expositione quòd Efficax semper sumatur ut Efficax, quo sensu negas posse ei resisti, atque adeo Papæ contradicis, qui affirmat Gratiæ absolutè posse resisti. Atqui tu Gratiam ita absolute nominatam ex tua doctrina Sect. 3. intelligis Gratiam Efficacem. Huic quod semper includit effectum negas omnino posse resisti. Ergo Gratiæ de qua, te Authore, loquitur Pontifex: & cui affirmat posse resisti, tu negas posse resisti. Proinde que Pontifici contradicis.

Sect. VII.

SECT. VII.

Flatus Septimus.

SIqua est unquam à me accuratê, & nitidê tractata quæstio, ea ſanè fuit, quæ petit: Utrum Chriſtus, & Quomodo pro omnibus mortuus ſit, nec quin id præſtiterim, qui legat dubitabit. Tu eam ad examen tuum revocans, tam obſcuram, difficilemque reddidiſti, ut candorem, nitorem que omnem penitus abſtuleris. Sed curabo detergere, & Fuligine detractâ nitori ſuo reſtituere.

Rurſum Cramben iteras tuam. Præcidis conceptus à vocibus. Ego accepi in ſcholis humanum eſſe, vocibus conceptiones mentis exprimere: ad id que uoces inſtitutas. Tu ſenſus à vocibus ſeparas ictu infelici, uti inhumanus. Ais: tibi de ſententia primùm dicendum, poſt modum *de recto vocum uſu*. Agis præpoſterè, nam voces, uti ſigna primũ inſpicienda, deinde ſenſa. Cum præſertim rectum uſum vocum antea debuiſſes inquirere, ut de recto ſenſu conſtaret. Illud ineptè facis, quòd cum quæ-

ras

ras ſententiama,d uſus vocum alienos defle&tas examinans genera voluntatem: ajens eſſe abſolutam & conditionam: ſeu Efficacem & inefficacem. Deinde illud abſurdè notas: Chriſtum *mori pro aliqua re tantum ſonare, ac velle propter merita Paſſionis ſuæ hoc fieri, vel oraviſſe interpoſita obteſtatione mortis ſuæ ut fiat.* De diviſione voluntatum infra commodiùs. Nunc obſervatio expendenda. Servabas de Cœlo Palinurus, cum ita ſomniabas. Itaque mori Chriſtum ſonat: velle & orare. Igitur ratione converſionis: orare & velle ſonat mori Chriſtum. Ergo Chriſtus cum volebat, moriebatur, & cum orabat. At in ventre matris Virgineo voluit & oravit, igitur mortuus eſt in utero matris, & mortuus antequam natus: Et cum Chriſtus ſemel juxta Paulum mortuus ſit, juxta Blacolum ſæpe mortuus eſt. Apageſis cum iſtis tuis ineptiis. Itane tu voces adulteras? nihil integrum planè, caſtumque relinquis. Cum dicimus *mori Chriſtum*, intelligimus *Pati Chriſtum* mortem: Cum dicimus, velle, & oraſſe, intelligimus actum volendi & precandi. Cum quærimus *An, mori voluerit* & *quomodo*, & *pro quibus*, & *voluerit mori & orare.* Propoſitum ejus quærimus, & mentem morientis & orantis, tanquam argumenta, unde probetur quomodo, & pro quibus mortuus ſit. Ut tibi dem *Chriſtum mori* idem ſonare, ac *velle mori*, nam is ſane ſenſus conſtare poteſt: dare tamen illud non poſſum Chriſtum *mori*, et *oraſſe* perinde eſſe. Potuit enim orare pro certis quibuſdam donis, putâ, Fide et

Gratiâ

Gratiâ temporali, quæ Reprobis Fidelibus concederentur, unde te Authore potuit orare pro non Prædestinatis, pro quibus te authore mortuus non est. Amas, opinor, acuta, ego acutus non sum, sed adipalis tamen esse nolo. An erit Acumen, si tibi ostendam mortuũ *C*hristũ ne illâ quidem ratione quâ vis, sumiq; aut conjungi cum velle? Excogitavi igitur quo acutus videri contra te possem. Finge *C*hristum cum moriebatur velle tantum mori pro veritate, vel Amore Patris sui nullo alio sibi proposito fine, adeo ut ne de salute quidem hominum cogitaret. Potuit ne Æternus Pater uti illâ morte Filij ad Redemptionem generis humani, necne? non negabis. At tunc ego. Ecce jam *C*hristus Redemptor est generis humani, & mortuus pro genere humano non suâ, sed Patris voluntate: nec erraret qui diceret eum esse hominum Redemptoré mortuumq; pro omnibus, & si de eo non cogitasset, nec id actu voluisset. satisq; esset quod ipse verè moreretur, & à Patre mors ejus ad eum finem relata fuisset. Nec enim credo *Abrahamum* cum Deo jubente *Isaacum* Filiũ suum sacrificare decrevit cuncta ea bona prævidit, quæ inde futura erant, nec tamen ea non *Abrahamo* tanquam Authori ob illud sacrificium accepto ferenda sunt. Itaque etsi Christus voluntate suâ mortem pro hominibus non statuisset perferre posset absolute *P*ater eam Redẽptioni applicare, ut ille re pro omnibus mortem pateretur, nec ad id necesse esset mori velle pro iis, quibus saluti futurus erat.

*P*ergamus ad solidiora. *D*e voluntate *C*hristi

ſynceriſſime,& aptiſſimè ſum,opinor, locutus ; ſed quoniam ita vis, eodem redeo. Ais volitionum genera eſſe duo. Abſolutæ & Efficacis : Conditionatæ & ſimplicis & Inefficacis. Minus bene: primum enim voluntas proprie eſt quæ ita ſumitur, non volitio. Deinde videris confundere conditionatam cum ſimplici, quod eſt omnino falſum: nam ſimplex voluntas eſt quædam actualis complacentia,ſeu diſplicentia objecti in re poſita ſæpè à conditione independens. Cujus rei exempla ſuppeditabit ſummus Theologus Gabriel Vaſquez.in 1.2.Tom.1.d.3.c.3.

Sed rem, inquis, videamus. Placet. Mortuum Chriſtum pro ſolis Prædeſtinatis abſoluta voluntate conſtans eſſe affirmas. *Do.* Verum moneo, Aliud eſſe quærere, Qua voluntate mortuus ſit Chriſtus ? Aliud, An mortuus ſit Chriſtus aliqua voluntate? Interim ſuſtineamus judicium. Adjicis, *Fidem & Gratiam & bona omnium Fidelium opera proficiſci à meritis Paſſionis Chriſti.* Eodem verbo uteris cum ulterius affirmas ſacramēta,&alia inſtrumenta ſalutis omnibus parata ; eſſe fructus Mortis Chriſti. Nec quæ voluntas Chriſti fuerit circa hæc bona clare exponis : eo verbo *Proficiſci* contentus. Tantum ais ad finem Paragraphi E*adem hæc ſive minora Bona , ſive remota,quatenus non ſunt, vel non applicantur, non pertinere ad abſolutam voluntatem Chriſti omnes fatentur.* Unde deduco te authorem eſſe, hæc omnia cum applicantur,ad voluntatem Chriſti abſolutam pertinere. Pudet me tui interpretem agere,qui unius Auguſtini eſſe volo,

&c.

&amo sed ejus Luce infusâ tenebras dissipare cymmerias tuas oportet; idque ago necessitate, non voluntate.

Hîc te volo manifeste convincere. Dicis Christum pro solis *Prædestinatis* absolutâ voluntate mori voluisse. Nunc affirmas Christum Fidem & Gratiam & Sacramenta, aliaque instrumenta Salutis Fidelibus, quibus applicantur absolutè dari voluisse: Sed multi ex his Fidelibus quibus applicantur absoluta voluntate, non sunt Prædestinati ergo pro his etiam voluit Christus absolutâ voluntate mori: cum tu exponas mori, pro voluntate absoluta. Unde si quibus voluntate absoluta voluit media ad salutem pro iis mortuus est Christus, & voluit absolutà voluntate media Fidelibus Reprobis, non pro solis Prædestinatis mortuus est Christus: vel mori non est perinde, ac velle voluntate absoluta. Nec evadis si dicas, Pro iis tantum mortuum quibus æternam voluit salutem absolutâ voluntate, qui sunt Prædestinati, quam æternam salutem hujusmodi voluntate non voluit aliis Fidelibus Reprobis. Nam urgeo te dixisse Parag. 1. *mori sonare velle propter merita Passionis suæ hoc fieri, vel oravisse. Unde manifestum est Christum velle & orare pro iis pro quibus mortuus est.* Non exprimis hic Æternam salutem: sed dicis *hoc fieri*, cum autem media ad salutem hac voce contineantur, quibus ea Christus efficaciter voluit, pro iis mortuus est. Quod si adhuc repugnes. Insto per illã voluntatem Christi absolutam dantur media: ergo

 dantur

dantur ex intentione Finis absoluta: sed Finis est Æterna salus, igitur quibus Christus dedit media voluntate absoluta, & iis voluit Finem absoluta voluntate.

Quæris tandem, An & quam habuerit Christus voluntatem circa homines quibus illa media non sunt applicata? Ais quæstionem esse posse de actu primo, vel de actu secundo. Vocas autem primum naturalem inclinationem voluntatis ita dispositæ, ut nisi aliud obstitisset, cupivisset Christus omnes homines hæc bona habuisse. Actum secundum vocas actum elicitum inefficacem, quo Christus id voluerit? De primo videris affirmare, negare de secundo, etsi utrunque obscurè, id est, more tuo, dicas. Quoad primum rogo? An illa inclinatio & dispositio sit aliquid in re & actuale: nam si id est, volitio est, & per illā fit Christus volens illa media, atque adeo omnibus aliquid ad salutem omnium volens, unde fit ut omnes salvare voluerit. Quod negas. Sin autem nihil est actuale, & tantum est ipsa voluntas præsumpta, quòd si nihil obstaret, illud etiam vellet, hæc sanè inclinatio ad *Dæmones* quoque videtur extendi: nam nisi aliquid obstaret, eos etiam Christus liberare voluisset: unde sequitur hac ratione non magis pro hominibus quam pro Dæmonibus Christum mortuum fuisse: quod etiam dixit Jansenius hoc fortassè argumento compulsus. Uti ego probavi Art. illo meo 6. Constit. Pontif. Nec objiceris illud esse quiddam factâ suppositione obstinationis Dæmonum & *Divini*

Decreti

Decreti impossibile: nam hæc est natura conditionatæ voluntatis, etiam elicitæ, ut tendere possit in impossibile. *Imo* secundùm *D.* Thomam *voluntas incompleta*, quæ est velleitas, uti tu etiam vocas, versatur circa Impossibile. Ita 1.2.q.13.a 6.& q. 16.de malo. a. 3. & Scotus in 4.d. 17. q. 2. a. 1. & d.14. q. 2. a. 1. Itaque timendum tibi non est concedere hoc simplici affectu conditionato, id est, velleitate, Christum omnes homines salvare voluisse.

Quod attinet secundum, jam apparet te scopo aberrasse, cum certum omnino sit Christum potuisse velle simplici affectu omnium hominum etiam Infidelium salutem, idque omnes qui fatemur Christum pro omnibus mortuum esse, affirmamus. Non possum autem non mirari stupiditatem tuam, dum dicis *Antijansenistas, nisi stupeant, non pronuntiaturos pertinere ad Fidem Christum actu secundo pro omnibus mori voluisse.* Nam id omnes unanimi consensu seriò ac verè pronuntiant; sunt autem graves, docti, Religiosi, ac eruditi viri, atque ab isto mentis vitio quod tu objicis, maximè alieni. Id ego tibi confirmo, te istud nisi stupentem scribere non potuisse.

SECT. VIII.

Flatus Octavus.

NOminalium Scholam auges Vocalis Theologus, & quidem Stentore clamoſior. Ideo inflaſti tubam, quæ nihil præter vocem emittit. In eadem chorda oberras, & voces retractas. Ais in hac quæſtione utrum *Chriſtus mortuus ſit pro omnibus*. Quæri utrum *mortuus ſit pro re quæ facta non eſt*? Ecquis hoc unquam? Itaque te Authore, nec mori ſignificat mori, nec omnes ſignificat omnes. Nec homines facti ſunt, pro quibus mortuus eſt Chriſtus. In qua officina cudis vocacula? An in Vulcania, inter Brontes Steropesque, ubi fulmina fabricantur, quæ in latinam linguam contorques? Quæritur, *Utrum Chriſtus mortuus ſit pro omnibus omnino hominibus?* Perſpicuum hoc eſt. Quo modo dixit Paulus 2 Corinth. 5. n. 14. & 15. *Unus pro omnibus mortuus eſt. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*, & quomodo illud omnes ſani homines intelligunt. Sed tu ambiges: An Chriſtus ſignificet Chriſtum, an Saulem, & Cyrum,

qui etiam Christi appellantur? Dubitabis *Unus ne sit?* cum Christus duas habeat naturas: & in quæstionem vocabis; utrum mortuus sit, quâ Deus, vel quâ Homo: & fortè negabis, quia cum natura Divina principalis sit, ea debet significari, atque adeo absolutè negari, Christum mortuum esse. Vide quo te inanes tuæ argutiæ deducant? Adeo ne ab ostio Logicæ ad quam provocas aberras, ut ignores discrimen inter Propositionem Affirmantem & Negantem: ut hæc cum sit malignantis naturæ nisi omnino ac totaliter neget, vera esse non possit. Illa verò cum melioris sit naturæ admisso vero, aliquo & idoneo sensu vera esse possit? Quare cùm hæc Propositio, *Christus mortuus est pro omnibus*, possit duos sensus admittere Efficaciter, & Sufficienter, satis est ut altero retento verè enuncietur. Atque adeo absolutè sit vera.

Quod de voluntate Eefficaci & Inefficaci pariter dicendum est. Nam ut sit vera Hæc Propositio. *Christus voluit mori pro omnibus*; Satis est quod aliquâ voluntate voluerit, sive Efficax sit sive Inefficax, cum sit Affirmativa. Hoc tu non negaris. Quod si neges. Urgebo te Dialecticè. Duæ contradictoriæ de eadem omnino re veræ simul esse non possunt. Das. Et illud. Has duas Propositiones:

Christus voluit mori pro omnibus. Christus noluit mori pro omnibus.

Contradictorias esse. Negas Primam veram

esse

esse. Ergo ais veram esse secundam. Tum urgeo. Hæc est negans, ac ut sit vera, omnem prorsus voluntatem negare debet, atque adeo debet negare Christum neutro modo, id est, Efficaci & Inefficaci voluntate mori voluisse. Quod cum falsum te authore sit, & falsa erit Propositio. Eâdem ratione Illa Propositio Affirmans *Christus mortuus est pro omnibus*, cõstat, quia quoad *Sufficientiam* qui est unus idoneus sensus pro omnibus mortuus est. Alia verò Negans *Christus non est mortuus pro omnibus.* Non constat, quia non in omni sensu vera est, & satis est, ut in uno sensu falsa sit. Hæc in scholis Pueri canunt. Tu autem, Thoma, Buccinaris.

Miror audaciam qua *Parag. Quare*, adversus Pontificem pronuntias *Hanc Propositionem Christus pro salute tantum Prædestinatorum mortuus est modo nomine salutis Æterna salus significetur, solitarie sumptam, & in proprio verborum sensu esse de necessitate Fidei Catholicæ & contrariam Hæreticam.* Hanc eandem propositionem censuerat Pontifex *Impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & Hæreticam.* Tu verò eam censes de necessitate Fidei Catholicæ, & contrariam quam probat Pontifex, & cum eo Ecclesia esse Hæreticam. O Pulchrum tuum caput! Hoccine tibi excidit? Cane palinodiam, nec expecta dum Fulmen in caput *Rubente dextera Pater* Innocentius è Cortinæ suæ Cœlo jaculetur. Nescio utri ego te similem dixero Salmoneo, an Capaneo, an Encelado contra

superos

ſuperos Armā moventi. Auſus es ſanè quod non auderet opinor, ſi viveret, Janſenius. Nam, uti erat Cathedræ Apoſtolicæ, quod ex ejus Teſtamento apparet obſervator Religioſus, acceptâ Pontificiâ conſtitutione illi prorſus ſubſcripſiſſet, & Propoſitionem illam ſuam proſcripſiſſet. Et quidem ante Cenſuram Innocentij innocenter affirmaſſe videri poteſt.

Tu verò poſt Innocentij latam Cenſuram, non niſi impiè potes aſſerere. Moneo ſeriò, dicta retractes: ſin Vadimonium tibi ad Romanum Tribunal dico: nec eſt clypeus quo te munias: nam quod ais: ſi *Æterna ſalus ſalutis nomine ſignificetur* futile eſt: cum *ſalus* in ea propoſitione aliud præter Æternam ſalutem ſignificare non poſſit. Ac de ea omnino & Janſenius cum protulit, & Pontifex cum cenſuit intellexerunt. Quid enim aliud per *ſalutem* ſignificarj poteſt cùm *de ſalute Prædeſtinatorum* agitur? Certè non patitur aliam ſignificationem vocabulum: nec tua illa Cenſura ferri poteſt. Spongia ſatis non eſt, igni opus: & quidem ſacro. Uno modo poſſes effugere ſi exponeres *quoad efficaciā*. Sed cum id neglexeris, ego te liberare nec volo, nec poſſum. Quod ſi Palinodia gravis & turpis videtur: adde *quoad Efficaciam*, quo Senſu D. *Thomas* quem citas, & alij tutò dixerunt Catholici, ac euades: ni hoc addas, & pergas abſolutè proferre illam tuam Propoſitionem, magnam Innocentij manum ſenties fulminantem:

Ais: *Ad ea quæ doceo convertendum eſſe ſtylum.*

Benè est. Quod hactenus impugnasti Pontificem. Tute fateris, cum dicis ad me stylum convertere; quòd alibi collocabas. Reprehendis quòd erroris notà Semipelagiani liberaverim Propositionem *Christus pro omnibus hominibus mortuus est.* Aisque errorem Semipelagianum esse. Hoc tu vocas *stylum in me convertere.* In Papam vertis, vel pergis eum carpere. Nam ille liberavit hanc propositionem ab errore Semipelagiano: damnavitque affirmantes errorem esse. Audi Pontificem ita censentem: *Quintam Propositionem: Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse, Falsam, Temerariam, Scandalosam.*

Censuram quæ inurit notam erroris Semipelagiani huic Propositioni damnavit Papa: Censura tua est, esse errorem Semipelagianũ dicere *Christum pro cunctis mortuũ esse.* Igitur in damnationẽ Pontificis incurris. Cæterũ cur non sit Error late ac perspicuè Art. illo meo vi, ostendi. Semipelagianus autẽ esse non potuit, cum ea *P*ropositio sit *P*auli, & Augustini, & *P*rosperi, uti ego, & in mea nunc Censura, & anteà in Cortina Conclusione 10. eiusque expositione ac probatione accuratissimè demonstravi.

Ais me triumphare de multitudine Authorum perinde ac multos citem: de quo ego certè non glorior, quem puduit tam paucos citasse inopiâ librorum, quos peregrinus, abditus domi, juvante nemine, multis turbantibus habere non potui.

tui. Studium non potes reprehendere, cum authoritas magnum pondus afferat rebus, præſertim controverſioſis, obſcuriſque, quibus quò plures adhibentur Patroni eò tutiores ſunt; quo plures applicantur faces clariores exiſtunt. Id ego ex Auguſtino didici, qui in libris contra Julianum, & Donatiſtas & alibi ſœpe Doctorum teſtimoniis utitur, cum tanta eſſet ipſe authoritate. Id me docuit Hieronymus a quo in controverſia de *Petro* reprehenſo à *Paulo* Patres Græci Auguſtino opponuntur: objiciente contra Auguſtino Latinos quos potuit. Quanti authoritas facienda ſit, Magiſter ſententiarum, *D. Thomas*, Scotus, Cæterique Scholaſticorum Principes advocato Doctorum in ſcriptis ſuis patrocimio teſtantur. Neminem citare velle, hominis eſt ſuperbi, fidentis ſibi, nimiũ ſibi arrogantis, & aliis detrahentis & Cauſæ ſuæ diffidentis. Cujuſmodi ſunt Hæretici, qui quòd nova volunt aſtruere, authoritatem elevant, qua confutantur. Qui verum dicit, teſtes habere vult ſententiæ ſuæ. A quo falſa pro feruntur, is removet eos qui poſſint falſitatis arguere. Certè ſumma veritas Chriſtus, cum Magiſter in Thabore monte fuit inſtitutus à Patre, *Ipſum audite, teſtimonium habuit à* Moſe, *&* Prophetis *inquit* Auguſtinus. Et Paulus os Chriſti, organum Spiritus Sancti *nubem teſtium advocavit*. His Authoribus omnes Catholici Doctores ſive ſuadeant, ſive probent, ſive impugnent teſtimonis uti ſolent. His ego quàm

Hæreticis, quos tu dum ſolitarius eſſe vis, imitaris, ſimilis eſſe malui.

Objecto Arianorum exemplo magnam non tam mihi quàm Authoribus, quos produco injuriam facis. Ita enim objicis perinde ac nihil inter eos quos pro me cito, qui Sancti Pij & Catholici ſunt, & quos tu citas interſit. Acephalum vulgus dicis Authores inter quos ſunt, Papæ, Concilia, Patres, Doctores Scholaſtici, Capita, Lumina, Columnæ, Clypei Eccleſiæ. *Ais* id erroris eſſe ſignum. Nemo tot ſidera adhibuit, ut erraret. Ille errat & cadit qui faces extinguit. Nec ego Acephalum Scriptorum vulgus affero, nec tu niſi Paradoxa effutis.

Rurſum objectas, quod cùm multitudine Authorum glorier, eas ſententias duas ſequar quarum pauciores authores ſint. Ego ubi omnes conſentiunt omnes ſequor. Ubi diſcrepant meliores ſequor. Nec enim ſoleo numerare teſtes, ſed appendere. Puto autem quòd Auguſtinus ejuſque Schola cui adhæreo, haud paulo plus cæteris ponderis habeat. Eò tu me inclinare videas, quo Auguſtini authoritas vergit. Hanc ſcio à Papis, à Conciliis, ab Eccleſia Univerſa probari. Is errare nequeat, qui Auguſtinum ſequatur.

Examinas Concilium Valentinum, & Eccleſiam Lugdunenſem à me citata. Conſtant quæ dixi. Qui mea leget ei conſtabunt. Tu obiter, & Leviter. Perſtringis: nec vidiſti fontes, nec attigiſti. Rivulos ſectaris. Te teneo. *Non videmus*

manticæ

manticæ quod intergo est. Solus ais, negas solus: citas neminem: quòd neminem errorum tuorum patronum habere potes, testem nonuis, Non Columbæ similis, sed Cornici.

Quæ sola in sicca secum spatiatur arena.

Quanti sint momenti ad componendas controversias Fidei, Patrum & Authorum Scholasticorum testimonia documento sint tibi nobilissimi Angli Scriptores duo: Alter Jesuita vetus, alter Franciscanus recens. Illum dico, Campianum Illustrissimum Martyrem: virum extra omnem ingenij, & eruditionis, & Eloquentiæ aleam positum: Cujus ego aureum libellum cunctis Cræssi, Crassique opibus antepono. Hunc F. Franciscum à sancta Clara nobilem hujus ætatis scriptorem, Exprovincialem, & Franciscanæ Familiæ ornamentum: qui in suis operibus singularem à Copia Authorum quos citat eruditionis opinionem collegit. Huic tu, nam vivit, & tibi notus est, erudiendum te trade. Sin refugis. Lege Rationes *D*ivini hominis *C*ampiani Ambrosiam & nectar invenies. Nec cæparum nobis in crudo tuo stomacho male concoctarum nubem teterrimam inhalabis.

Has omnino sapit quod ais: locum *P*auli 1. ad Timoth. 4. *Deus Salvator est omnium maximè Fidelium.* De Christo ut homine ac Redemptore non intelligi. Ac exprobas *Mihi perstrictos esse oculos.* Primum non hoc ego præcipuè nixus sum loco: sed

 illo

illo Corinth. 5. n. 14. & 15. & interpretatione ac Sententia Augustini. Sed quoniam hunc tu locum elevare voluisti, volo eum à Calumnia vindicare: ac illum magna cui refragari nequeas authoritate fulcire. Citas in hac opella authores duos, quibus idcirco fidem habere videris. Prosperũ, & Divum Thomam. Horum te ego testimonio convincam. Ambo eundem hunc locum in rem meam de universali omnium Redemptione intelligunt. Igitur *Prosper* lib. 2. de vocat. *Gent.* c. 31. sic. *Dicendo Qui salvator est omnium hominum. Confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse Generalem : adjiciendo autem : Maximè Fidelium, ostendit esse partem humani generis quæ merito Fidei Divinitus inspiratæ ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.* Ubi nota illud *Bonitatem Generalem* : erga omnes. Et illud *specialibus beneficiis* : erga Prædestinatos. Clarius D. Thomas: eodem utitur loco ad probandam Universalitatem Redemptionis Christi erga omnes sub illa distinctione Sufficientis & Efficacis. Lect. 3. cap. 2. ad Hebræ. ad illa verba *Gratia Dei pro omnibus gustaret mortem* quæ cum adhibita Chrysostomi sententiâ de Redemptione Generali partim Sufficienti partim Efficaci exponat, expositionem confirmat isto loco *Salvator omnium, maximè Fidelium.* Idem probat eodem adducto loc. 3. p. q. 8. a. 3. & alio Joannis. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Vide quàm temerè ac projectè judices.

Huc

Huc reſervavi reſponſionem ad illum locum D. Thomæ, quem objeciſti hac ſect. ſuperius ex 3. p. ad 2. ad probandum Chriſtum authore *D.* Thoma non pro omnibus, ſed pro ſolis Prædeſtinatis mortuum eſſe. Scias D. Thomam ibi de Efficacia Redemptionis locutum. Solet enim uti Magiſter ſcholarum illos duos modos diſtinguere Sufficientiæ & Efficaciæ, & primo modo dicere pro omnibus Chriſtum mortuum eſſe: ſecundo pro ſolis Prædeſtinatis. Ita c. 1. ad Timoth. Lect. 1. *Unus,* inquit, *Mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus: non quorundam, ſed inter Deum & omnes homines: & hoc non fuiſſet niſi vellet omnes ſalvare* & rurſum ibidem. *Propitiationem pro peccatis noſtris. Pro aliquibus Efficaciter: ſed pro omnibus ſufficienter: quia pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem omnium: ſed non habet efficaciam niſi in Electis: propter impedimentum.* Idem habet expreſſè in Epiſt. ad Roman. c. 6. Lect. 6. ajens dici poſſe quod *Juſtificatio Chriſti tranſit in juſtificationem omnium hominum quantum ad Sufficientiam: licet quantum ad efficientiam procedat ad ſolos Fideles.* Et Lect. 3. c. 2. ad Hebr. Laudat Chryſoſtomi expoſitionem *Pro omnibus hominibus generaliter mortuus eſt quia omnibus pretium ſufficit.* Eandem doctrinam tradit 3. p. q. 1. a. 2. & q. 46. a. 6. ad 2. & ad 4. & præcipuè q. 8. a. 3. & lib. 4. cont. *Gentes.* c 66. rat. 7. Ita Cornicum oculi configuntur. Memini te à me ſupra Cornicem vocari.

Summam facis & ſtatuis. *Quinque propoſitiones*

in

in proprio & Scholaſtico vocum ſenſu eſſe de neceſſitate Fidei Catholicæ, & earum contradictorias hæreticas.

Vellem quod ambigue proponis in bonam partem accipere, ac te (nam perſonas odiſſe non ſoleo, ſed vitia) cenſura liberare, ſi antecedentia ſequentiaque permitterent: ſed quod ea non patiuntur molliorem expoſitionem neceſſe eſt intelligi: Te Cenſere propoſitiones quinque uti propoſitæ ſunt, & quæ damnatæ ſunt in proprio & Scholaſtico ſenſu de fide eſſe: proindeque Cenſuram pontificis falſam fuiſſe in proprio & Scholaſtico ſenſu: cum vero ex vi Cenſuræ illas quinque damnantis, contrariæ approbentur, ſentis omnino, quas Papa probat eſſe hæreticas: quas improbat eſſe Catholicas in proprio & Scholaſtico ſenſu verborum. Cum verò ſenſus Scholaſticus & proprius ſit verus ac germanus ſenſus, ac te authore voces in proprio ſenſu ſumendæ ſint, eæque abſolute intelligendæ & accipiendæ, ſequitur te authore Quinque illas propoſitiones Janſenij quæ damnatæ ſunt eſſe abſolutè veras & Catholicas, contrarias verò quas Pontifex ſtatuit abſolutè falſas & hæreticas eſſe. Doleo *mi Thoma* hoc tibi excidiſſe. Anglice quidem non Angelice dixiſti. Hoc cum doleam illud miror: Affirmare te ex ipſa Antijanſeniſtarum ſententia dici quo nihil abſurdius excogitari potuit. Cum Antiſeniſtæ nullo modo velint excuſari ſenſum earum propoſitionum, nec mollius explicari vel ſenſu improprio patiantur. Nec is tantum, ſed

etiam

etiam octoginta Clarissimi Galliarum Antistites qui datis justis & solennibus ad summum Pontificem litteris, eas propositiones examinari, proscribique postularunt. Qua de re vide Patrem Martinonum, sive Antoninum Moraines, quo nemo acrius & vehementius & eruditius Jansenium confutavit. In suo Antijansenio in Appendice ad disput. 1.

Quod autem eos tu dicis ex ignorantia Logices *sequiorem intellectum* Jansenij Propositionibus *assignasse* summâ certè injuriâ dicis: cum ij non Logices tantum, & Universæ Philosophiæ; sed etiam Theologiæ, sacrarumque litterarum peritissimi sint, idque tam ex eorum methodo & argumentandi ratione apparet, ut qui hoc neget aut eos non legisse, aut si legit parum de Logica, & Philosophia, ac Theologia intelligere videatur. Imo tibi *Thoma* confirmo, si quod vitium habent, id unum esse quod velint omnia, ad minutias argutiasque Logices revocare. In quo ego certè aliquantum ab ipsis dissideo, qui nolim res tam altas tamque profundas, & in abditissimo Divinæ Providentiæ recessu positas nostris rationibus definiri.

SECT. IX.

Flatus Nonus.

RISI? An Flevi? Quod perinde interdum esse Democritus nos olim & Heraclitus docuerunt, cum incidi in hanc Sectionem tuam: mox cum eam totam legissem excandui. Quid enim tam ridiculum, quàm post neglectum, & conculcatum *Pontificis* Decretum, & assignatas ei totidem hæreses, quot tulit sententias, illud extollere, & commendare? Quid tam miserabile, quam novis erroribus adjectis, augere veteres & priores, & dum purgari vis, amplius sordidari? Quid tam indignum, quàm ad excusandam Pontificis Censuram eum secum contraria dicentem committere, & fuco inducto mendacij compertum facere, ejusque autoritatem veritatemq; traducere? Verba tua produco, quæ meos affectus justos reddent. *Verum enim vero quorsum hæc omnia? Num ut Decretum Pontificis enervem, aut reprehendam?* Placet illud primum. Vidisti quo ista spectarent. Illud secundum displicet. Reprehendere tu Pontificis

Decre-

Decretum, ut possis: enervare certè non potes, imo nec Portæ Inferi possunt. Fateris illud *Sancti Spiritus ductu editum.* Rationem audiamus. *Laborabat*, *inquis*, *Ecclesia dissidiis. Pars altera*, id est, Janseniana *veritate & Sanctorum authoritate subnixa stabat.* Harum te partium esse declaras: cum has veritate, & authoritate communis. Omnia iis tribuis. Quid enim superest? Audio. *Altera multitudine Principum, Plebisque tinnitu blandientium humanitati vocum circumventorum stipata ingentes tollebat animos.* Hæc erat pars adversa Jansenio. Huic assignas ventosam foliorum sonantium auram, fructu veritatis Jansenianæ reservato. Miscesque cum vili & sordida plebe *Principes* viros: & his fucos, & mendacia relinquis: nam veritate erepta, adempta Sanctorum authoritate, quid restat aliud, præter commenta? Pergis. *Quid faceret Ecclesiæ Pater?* In arcto eum locas. Inter *veritatem* & *fucum*. Ais *Turbulentiorem partem*, id est, adversam Jansenianæ, *concedendo illis voces suas compescuit.* Horsum spectabat tua illa tantopere affectata distinctio *vocum* & *sensuum*, ut decretum Papæ eluderes. Quod jam apparet. Ais en m *voces*, id est, sonos inanes sonantis turbæ Parti sanæ concessisse, ceu pompam & luxuriem foliorum: ea mente ut turbantes & turbaturos Ecclesiam compesceret: itaque non veritatis ergo, sed metûs causâ Pontifex decrevit. Addis: *Obsequentiorem blandè consolatus est, sensa sua illis commendando.*

 Bellam

Bellam rem. Itaque hoc *Decreto* ſolæ voces,& ſoni damnantur, id eſt, vetat Pontifex ne quis dicat: non vetat ne quis ſentiat. *Imo* cum reprobet voces, ſenſus iis expreſſos probat, nec tam eſt illa Condemnatio, quam Commendatio. Jubet ergo Innocentius Authore Thoma Anglico, ut aliud dicamus, aliud ſentiamus. Rectè omnino.

Jubet *Mentiri.* Non probat hoc meus Auguſtinus in libris de mendacio. Progrederis. Prior dicti pars publico inſtrumento firmata eſt. Igitur hæc quæ mendacium tuo judicio continet, nam in ſono, & voce verſatur nobis eſt ad Credendum, propoſita: nam quæ Decreta ſolenni more evulgantur, ea ſunt propoſita ad credendum. Hujuſmodi autē Decretum de vocibus ad ſpeciem tantum editum, ſolenniter eſt evulgatum. Alterum autem ſenſum quem tu verum & Authoritate Patrum roboratum dicis, intra privatos, ut aiunt, parietes tacitum, imo & ſemiſepultum manſit. *Poſterior* (*ſi qua fides teneræ conſcientiæ viris*) *coram Oratore Chriſtianiſſimi Regis peracta eſt.* Mera hæc eſt impoſtura, *Thoma Angle.*

Nunc primum audio. Somnium eſt. Cominiſceris tu: ſi qui ſunt alij: *Non ego credulus illis.* An putas quas palam damnaverat Pontifex Propoſitiones, eas clam privato colloquio ab eodem eſſe approbatas? Idque coram Oratore Chriſtianiſſimi Regis, qui acerrimus harum opinionum impugnator fuit, & graviſſimam ſuam authoritatem interpoſuit apud Pontificem, ut Janſenij errores

damnarentur. Cujus Regni Christianissimi insignis Ecclesia ejusdem auspiciis, easdem proscribi litteris solennibus postulavit. Hæc cum per Legatum maximam partem acta essent, coram eo Pontifex quod eodem urgente Decretum ediderat, infirmaret? & contra Gallicum Candorem & Innocentissimum nomen Innocentius versutia & astu subdolè, fraudulenter que uteretur? An mendaces illæ sunt ad Christianissimum Regem Super eadem Censura à Pontifice litteræ datæ? Næ, si tu id *Thoma Anglice credis* credendo, (etsi minus quàm *Thomas Didymus* non credendo) delinquis. Facis verò insignem injuriā Utrique & Pontifici, & Regi Maximis, dum ais *sententiam rectitudine Fidei splendidam* pro Jansenij erroribus coram Legato Gallico qui damnari petebat, tulisse. Oportet autem ut qui hanc *splendidam vocas Censuram*, tacitam pro Jansenio, quam comminisceris: solennem & vulgatam adversus eum tenebrosam appelles.

Novâ Constitutione opus est ad hanc temeritatem tuam refellendam, quæ nescio an sit Jansenianâ perniciosior: nam hic certè humano more perperam sentiendo erravit, non tamen Apostolicæ Sedis Authoritatem, aut elusit, aut fregit: imo se ei piè religioseque submisit. Tu terminos humani erroris egressus, non solum contrà quàm definiit Pontifex obstinatè sentis, verùm etiam ipsius authoritatem defi-

nientis hoc novo contradictionis commento, & eludis & frangis: graviusque conciliando utranque, quas inter se contrarias fingis, Censuram, ne acquiescas uni & legitimæ peccas, quàm si ei repugnares. Hac enim fraude conaris efficere, ut nihil quod Pontifex decernat, sanciatve, firmum sanctumque esse possit: cum in promptu sit cuiquam dicere, quod Pontifex vetuit, jussitve id, ad speciè tantùm ad turbas componendas, non re ac verè constitutum.

Ac ut te pudeat incogitantiæ, vel audaciæ tuæ. Hoc somnio inducto facis, ut major sit habenda Fides Pontifici, uti privato in sellula clàm & familiariter loquenti, quam uti Papæ & *Petri* Successori, ex Cathedra, quæ est Cortina Catholicæ Ecclesiæ certissima veritatis oracula fundenti.

Vis quippe, ut quod Pontifex clàm privato colloquio, sine ullo scripto, bullave Oratori Gallico in aurem dixit, id infallibilem authoritatem habeat; & Theologis sit ad credendum propositum, atque reapse ac verè stabilitum: quod autem magno consilio à Pontifice susceptum, maturè consideratum, graviter expensum, seriò examinatum, multis consultationibus discussum, assiduis precibus Deo commendatum, rectè ac ritè definitum, in Constitutionem redactum, in Bullam solennem versum, publico sigillo munitum, Typis mandatum, in lucem editum, in Ecclesia Lateranensi publicatum, ad val-

vas

vas Basilicæ Principis Apostolorum & Cancellariæ affixum: ac in Acie Campi Floræ pro Columna collocatum, elevas, & ad speciem tantum valere affirmas, nec authoritatis quicquam solidive roboris habere contendis: eique inane à te excogitatum commentum haud dubie ante ponis: quod ut verum esset, non poterat cum isto solenni more, modoque publicato conferri. Quòd autem video ignorare te quâ ratione Decreta Pontificum concipiantur, proponantur, evulgentur: quæ ab eo tanquam Persona privata, quæ ab eodem, uti Papa, & successore Petri, ac ex Cathedra loquente emittantur, lege Vasquium etsi eum minoris facere, quàm par est videaris, à quo id quod ignoras doceberis 2. Tom. in 1. 2. d. 155. c. 2. & uno verbo disces, nil à Pontifice ex Cathedra & Sede Petri edici, vetari ve censeri, nisi solenniter ad valvas Basilicæ Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicetur & duo utrobique Exemplaria affigantur. Quæ cum videas in hac Constitutione adversus quinque Propositiones Jansenii servata eam firmam Sanctamque, & ab omnibus Catholicis Fidelibus religiosissimè tanquam veritatis Infallibilis, atque adeo pro Canonica amplectendam, & observandam necesse est fateare.

Explicas deinde Propositiones, ac judicio tuo definis, quo sensu singulæ hæreticæ sint: perinde ac alio sensu Catholicæ essent, & in eo sustineri possent. Quod ineptum & impi-

um, eſt cum ea ſint perſpicue & abſolutè definitæ. Itaque uti ſonant proprio & legitimo ſenſu accipiendæ ſunt, ac credendæ. Quare non oportet circa explicationem tuam morari. Non omittam tamen ingentes duos errores tuos, nam id piaculum eſſet, commemorare.

Ais in explicatione Tertiæ Propoſitionis,

Si complexè ſumatur ut ſignificet neque ad merendum neque ad demerendum requiri libertatem à neceſſitate: hoc eſt determinatione naturæ peccari: eſt Hæretica, & Manichæa, quia ponit determinationem naturalem, ſeu naturam de ſe malam.

Hoc eſt dicere: Papam in ea Cenſura locutum de neceſſitate inſita naturæ, quam invexerunt Manichæi: ac eam ſolam à merito & demerito removiſſe, perinde ac cum alio genere neceſſitatis ſtare utrunque poſſit. Conſtat enim Pontificem non de hac tantum forma neceſſitatis locutum, ſed de quacunque alia inevitabili intelligendum, undecunque tandem proveniat. Id vero manifeſtè apparet: nam Pontifex non ſolam neceſſitatem à coactione excludit, ſed omnem aliam neceſſitatem eo nomine comprehendit, & ita loquendo ſupponit poſſe aliquod genus neceſſitatis intervenire, quod ſit poſſibile: illud autem genus naturalis neceſſitatis, quod Manichæi inducebant, poſſibile non eſt: & omnino extra rem, cum nulla poſſit eſſe natura ex ſe mala moraliter: nec de ea poterat Pontifex cogitare, uti apparet.

Igitur non de ea, ſed de alia neceſſitate loquitur,

quæ

quæ ſit poſſibilis, & tamen ſit inevitabilis. Ac de illa docet: cum merito vel Peccato ſtare non poſſe: ac ideo eam removit tantùm à ſtatu naturæ lapſæ, quòd viatorum ſtatui contraria ſit, quemadmodum eſt illa quâ Beati ad amandum Deum clarè viſum neceſſitantur. Et quidem Auguſtino Authore Lib. de Nat & Grat. c. 67. & l. 3. de lib. arbitr. c. 16. *Quæcunque eſt iſta Cauſa voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur.* Ac ne putes loqui de neceſſitate innata. *Caveat ne fallatur. An tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit. Si ita eſt, nulla ergo peccata ſunt. Quis enim peccat in eo quod caveri nullo modo poteſt? Peccatur autem, Caveri igitur poteſt.* De hujuſmodi autem neceſſitate, ac libertate Peccandi accuratiſſimè & copioſiſſimè egimus in noſtra Cortina quæſt. de neceſſitate & libert. Peccandi. Quam ſi legas, nihil ad hujuſce difficultatis explicationem deſideres. Quod ſi minus in me authoritatis ac doctrinæ eſſe putas, lege ſummum Theologum Suarium To. 2. lib. 5. c. 4. & ei non imparem Vaſquium. to 2. in 1. 2. d. 189. n. 121. & tomo. 1. d. 25, & 26. & unum Antijanſeniſtam Morainium. d. 33.

Non deſinam tamen laudare acumen tuum in removenda hujuſmodi neceſſitate innata Manichæorum; cùm enim admittas Peccatum ſtare poſſe cum neceſſitate Coactionis, uti ais Sect. 4. & ad illam ego oſtendi, acutè vidiſti neceſſitatem aliquam excludendam eſſe à merito & demerito, quæ reſponderet illi alteri neceſſitati in Cenſura con-

contentæ;& à libertate alienæ. Verum illud laudare non possum: negare te hic cum naturali ista necessitate meritum posse consistere: & affirmare sect. illa 4. *Necessitatem quæ à determinatione Animæ ad bonum nascitur, & eam liberat à consultatione, & electione esse summum* (tu ponis summam) *meritoriæ dignitatis apicem.* Nam quid intersit inter istam determinationem Animæ ad bonum, & inter aliam innatam determinationem naturæ, qua cum negas meritum stare posse, tu non dicis, & cum opem Gratiæ non requiras, videris de naturali inclinatione loqui: quod si verum est, constat te tibi contradicere: & dum ais cum ista necessitate stare meritum, Pontificiæ Constitutioni refragari: cum omni quippè necessitatis forma, coactionis, & naturæ, quas tantum agnoscis, affirmas meritum & demeritum posse consistere.

Circa Propositionem 5. eam Hæreticam esse ais: *Si significet Missionem Spiritus Sancti & missionem Apostolorum, & mandatum ut in Ecclesia sint sacramenta, & quæcunque alia universaliter & sine distinctione ordinata & relata ad salutem generis humani, non patrata esse ex meritis Christi.* Ecquis ita mentem Pontificis explicaret? Verum est hoc, sed hunc sensum duntaxat hæreticum esse, id improbamus. Quæro enim ex te, satisne hoc sit ad dicendum *Christum pro omnibus hominibus mortuum esse?* Nam de hoc quæstio instituitur. Negare hæreticum est. At tu videris negare. Nil igitur tuus illa te sensus juvat: nec ea ratione Censu-

ram evadis. Dicere oportet CHRISTUM illa media ad ſalutem hominum omnium meruiſſe, & ad eam tanquam ad finem ſibi propoſitum direxiſſe: qui fuit haud dubiè ſalus omnium; nos de fine quærimus, tu ad media confugis: & truncas quæſtionem.

Admittimus quod das, ſed ſatis id ad reſponſum quæſtionis negamus. Verùm oſtendam tibi viam, qua hæreſim poſſis evadere. Nam cum affirmes inſtrumenta, & media ſalutis Æternæ data eſſe à Deo propter Paſſionem, & ſanguinem Chriſti, ſequitur quibus cum fructu ſunt applicata pro illis Efficaciter mortuum Chriſtum eſſe: quibus autem ſine fructu vitæ Æternæ adhibita ſunt, pro iis ſpecialiter quoad ſufficientiam mortuum fuiſſe, quibus autem nullo ſunt modo applicata, undecunque id provenerit etiam pro his mortuum eſſe, cum in cauſis univerſalibus media iis providerit, quæ etſi in particulari impedita ſint ne ad eos pervenirent, id non defectui aut voluntatis aut Paſſionis Chriſti, omnibus providentis, ſed Cauſarum Curſui, ordinique rerum qui mutari non debuit, imputandum. Qua ratione Theologi communiter explicant generalem ſufficientis Gratiæ rationem: ac eâ putant ſatis fieri argumentis eorum, qui negant omnibus dari, quod multis re & actu applicari non poſſit. Reſpondent enim ſufficere, quòd in Cauſis univerſalibus contineatur, atque eo modo ſatis iis omnibus eſſe proviſum. Qua de re vide Suarium Tomo 2. de Grat l. 4. de Grat. ſufficien-

te, multis capp. præſertim c. 11. & Vaſquium 1. p. d. 96. & 97. quibus etſi ea communis Auxilij adſtruendi ratio minus probetur, probatur tamen graviſſimis Patribus Antejanſeniſtis Antonino Moraines d. 25. Thomæ Auguſt. lib. 2. c. 16. Franciſco Annato l. 2. c. 5. l. 4. c. 7. Hoc tamen ea tibi lege commendo, ut tuum circa hujuſmodi Gratiam Sufficientem ſuſtineas judicium, donec ego eam Auguſtino Authore lib. meo de Adjutoriis ſecundo accuratiſſime tractem & definiam, & de Chriſto Redemptore fatearis eum pro cunctis, nemine excepto, hominibus mortuum eſſe.

Quod ex iſta tua Sect. reliquum eſt, ad id ego initio mei VII. Flatus latè opinor, & aptè reſpondi. Nec opus eſt ea iterare, non enim *ſemper habent repetita leporem.*

SECT. X.

Flatus Decimus.

PRofiteris te Authorem, id est Jansenium, non legisse, *quod volumen de unica quæstione scriptum horreas.* Haud sanè mihi ratio ista probatur: nam nec una quæstio est quid Augustinus de Gratia, & libertate ac *Prædestinatione* sentiat: imo in ea multæ gravesque & profundæ continentur quæstiones, quarum singulæ multa postulant volumina, quot videmus quotidie in lucem prodire: nec ut una tantùm quæstio esset, idcirco ab ejus voluminis lectione abstinendum quòd in ea versaretur, cum singulares quæstiones sint scitu dignissimæ: cujusmodi sunt *de Prædestinatione, ante vel post prævisa merita.* De *Efficacia Gratiæ unde proveniat? De concordia ejusdem cum humana libertate.* In quibus adhuc post tot secula Theologi laborant. An quod una esset quæstio Æqualitas Filij cum Patre? & cum utroque Spiritus Sancti, non de iis non commentarij tantùm, & libri doctissimi, & maximi, sed etiam Synodi & Concilia

cilia universalia instituta? Egregiam verò rationem excogitasti ab omni fermè lectione abstinendi: nam si hâc qua dicis noluisse Jansenium legere ratione, in legendis Authoribus utare, nimirum, quòd ex unius quæstionis inscriptione unam quæstionem putes, omnia fere & Patrum & Doctorum Scholasticorum monumenta prætereas. Quotus enim quisque est, qui unum argumentum, certumque non sumat? Igitur si qui vel de Deo, vel de Verbo Incarnato, vel de Angelis, vel de Peccatis, vel de Legibus, vel de aliis argumentis quemadmodum de mente Augustini egit Jansenius, agunt, legendi omnino non sunt, vereor ut nemo supersit, qui legi possit. Imo ne tui quidem libri magnâ profectò Christiani Orbis jacturâ legentur. Nam ij unam item quæstionem proponunt, puta *de medio statu Animarum*, *de Conciliatione libertatis & gratiæ,* atque adeo sunt negligendi. Vindicam libere *Thoma*, quod sentio. Credo te hac ratione usum, ne quid omnino aut paucissima legeres, nam cum tuos perlego libros, vacuos omni eruditione invenio; & cum nulla authoritatis idoneæ vestigia impressa reperiam in vasta solitudine errare mihi videor, ac extra omnem Doctrinæ semitam peregrinari.

Quod affirmas has quinque Propositiones à Pontifice proscriptas, non constare ipso Authore Pontifice Jansenii esse: sanè monstrat à te Bullam etiam fuisse neglectam. Nam in ejus initio clarè testatur Pontifex eas quinque Propositiones, totidem

totidem Janſenij opiniones eſſe, atque eo nomine ſibi propoſitas, ut de iis judicium ferret.

Audi Bullæ verba.

Cum occaſione Impreſſionis libri cui titulus Auguſtinus Cornelij Janſenij Epiſcopi Iprenſis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis controverſia, ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtiterunt, ut eaſdem Propoſitiones nobis oblatas expenderemus, &c. Pudeat te toties de rebus tantis temerè & ſentire & loqui.

Ais: *Janſeniſta dici non horrerem ſi ſcripta mea permitterent, quæ qui viderunt fatentur me nullius addictum jurare in verba Magiſtri.* Deinde arrepta occaſione excurris in Janſenij Laudes. Uter noſtrum ſit Infelicior, haud facilè dixero. Tune qui non horres Janſeniſta dici & amas cum illo errare, nec tamen audis Janſeniſta?

An ego qui cum maximè horream Janſeniſta dici, & ejus errores oderim, & impugnem, nihilominus audiam Janſeniſta, & eo nomine in invidiam vocer? In utroque falluntur homines: tam enim conſtat me non eſſe Janſeniſtam, quàm te Janſeniſtam eſſe, ſed id inter utrumque intereſt, quòd nemo tibi invidet, multi mihi. Nemo ſibi ab argumentis tuis timet, à meis nemo non metuit, quòd Auguſtiniana ſunt, ac illo ea nomine conantur elevare. Sed illud me magnopere conſolatur, quod nullius Janſeniſtici erroris particeps ſum: nec ille ubi errat, me aut ſocium, aut ſequacem habebit.

Sin monſtrent invidi in quo errem cum Janſenio, aut probem errantem Janſenium: & liceat eo me Janſeniſtam crimine appellare. Quod ſi me ab ejus erroribus alienum inveniunt, cur audent ejus me ſequacem dicere? At ita volunt: & credunt (quòd invidiæ obnoxius ſum) ſe poſſe quod volunt. Eſto. Sed illud meminerint divini viri: *Poſſunt homines facere malam famam, ſed non facere malam conſcientiam.* Ego meâ fruar: illi ſuæ rationem reddent. *Eſt qui quærat & judicet.* At ego Perſonam Janſenij liberam à nota Hæreſeos eſſe pronuntiavi, nec totum librum damnandum. Ita & cenſui olim, & nunc cenſeo. De Perſona quâ tu ratione dicis, & ego antè, elegantius opinor, dixeram. De libro, quod purgari poſſet, & immane eſſet excindi. Errores tantùm improbavi damnavíque. Ita enim ſum comparatus, ut vitia non perſonas inſecter. Tu tamen, mi Vuhitte, Perſonam tueris & errores ſuſtines. Primum probo. Alterum à me probari non poteſt. Quemadmodum quòd Janſenium laudas moderatè, placet: quòd modum excedas, diſplicet: ac eo magis quòd laudibus ejus abuteris, & in aliorum vituperium vertis. Commendans enim ſcripta ipſius ais: *non niſi in ſacra, & Sanctorum dicta commentata videri.* Tum addis: *Plerorumque modernorum volumina nugis inextricabilibus è ſuppoſitia Philoſophia farcita ſint, vel magis ipſa farcimina.* Miror te in Janſenio laudare quod tu præſtare non ſoles, uti Sanctorum Patrum teſtimoniis, eorumque

commentari

commentari dicta: cùm omnia uti de te audio, ratione metiri velis; & totam Theologiam ad demonstrationes naturales reducere: quod est ipsam evertere Theologiam, imo & Fidem, cujus hæc principiis nititur, è medio tollere. Quomodo autem Demonstratio naturalis, quæ necessariò evidens est, cum Fide, quæ necessariò est obscura, & in Authoritate Divina fundatur, potest consistere? Monstrum certè moliris Chimæra horribilius. Novam quære Africam, quæ novum hoc portentum ferat. Quòd Modernos attinet, *Parcius ista viris Thoma objicienda memento*.

Nollem hoc tibi excideret. Ab illis certe vapulabis. Nec ego te impunè dimittam. Qui sunt hi moderni quorum *Scripta nugis inextricabilibus sunt farcita*? Credo te Antijansenistas significare: nec temerè credo, nam iis te infensum, infestumque ostendis. Impudenter hanc Gravissimis Theologis calumniam affingis. Lege eorum libros, invenies, Scripturæ locis, Pontificum Decretis, Conciliorum Sanctionibus, Patrum testimoniis, Scholasticorum sententiis refertos. An tu hæc nugas putas? Nugax tu si affirmes. Nec nugas, nec nuces spargunt. Sed faces & lumna accendunt. Nugaturne Petavius eruditissimus ætatis nostræ vir, & in Patribus versatissimus? Nugatur Antonius Richardus plenus acumine, ac nervis, & totus Fulmen? Nugatur Annatus ingenij acerrimi, gravissimi judicij, solidissimæ doctrinæ Author? Nugatur Thomas Augustinus, qui Augustini subti-

litate, nitore Thomæ, Eloquentiâ Chrysostomi Defensionem illam suam composuit? Jam verò Martinonus, sive Antoninus Moraines, quàm graviter, quàm seriò, quàm ingeniosè, quàm eruditè, quàm eleganter & copiosè hoc idem argumentum tractat, & versat! Has si tu nugas appellas, & tua seria.

Horum ego postponam semper tua seria nugis.

Non eò hæc dico, quòd omnia ab iis scripta probem: nam nimius impugnandi Jansenium ardor minus placet, studium elevandi Augustini authoritatem, quam Suarez & Vasques tantopere commẽdant, summè displicet: sed quòd nollem duobus hisce vitiis totam molem operum cætera præstantium inquinari. Quinimo hæc etiam, quæ reprehendo, non sunt suis eruditionis, & eloquentiæ luminibus destituta. Ineptè cum de nugis agis *inextricabiles* dicis. Perperam sanè loqueris. Levissimas debueras; vel pueriles *inextricabiles* in nodos vel tricas optimè quadrat. At tu minus, opinor, has elegantias nosti. Ego me puto hisce disceptatiunculis meis *inextricabiles tibi nodos* objecisse, Gordiano pares, quos tu qui, Par Alexandro non es, minime possis ingenij acie præcidere. Adjiciis: nugas illas è supposititia Philosophia petitas. Dato quæso germanam, si illa quam profitentur, supposititia est. Credo te notham nosse; imo quod hanc solam nosti, ac pene innata est tibi, reliquam supposititiam putas. Certè illorum argumenta-

mentationes veram & caſtam matrem: tua, ſuppoſitam & adulteram arguunt.

Venio ad illud grave tuum de me judicium. *Te crimine*, inquis, *Janſeniſmi libens abſolvo.* Hanc partem gratulor mihi, quòd ab hoſte verum ſit redditum teſtimonium Innocentiæ meæ, quam malevoli quidam maculare voluerant. Sed benè eſt quòd Janſeniſtæ me ſuarum partium, & negant eſſe, et nolunt. Qui me ad eas contrudunt, injuriam mihi, illiſque, imo & veritati faciunt. Non alio id melius argumento probatur, quam quòd Antijanſeniſtæ, Janſeniſtam, Janſeniſtæ Semipelagianum appellant. Nam cum utrunque eſſe non poſſim, & alterutrius partis non ſim, ſequitur nullarum partium, ſed ſolius veritatis eſſe. Id ego profiteor, ac teſtor, quicquid de Prædeſtinatione & Gratia ſentio & ſcribo, id omne ex ipſiſmet Auguſtini Fontibus puriſſimis hauſiſſe. Ac ejus me tantùm diſcipulum & ſectatorem eſſe & fore. Abſolvis me hoc crimine Janſeniſmi, ut nimirum alio condemnes, Semipelagianiſmi: ſine me hoc nomine in Domino gloriari, quòd ſimilis Auguſtino evaſi. Nam huic cum contra Manichæos diſputabat pro libertate Arbitrii, Pelagianiſmus objectus, cum adverſus Pelagianos pro Gratia decertabat, *Manichæiſmus* impactus: cum tamen ipſe ab utroque eſſet alienus, & in medio conſtitutus virtutem veritatemque ſectaretur. Qua de re aptè & eleganter lib. 4. c. 3. ad Bonifacium.

Accedo propiùs. Non dubitas quin ego qua-

tuor *P*rincipia Semipelagianorum, quæ ex Prosſpero cito (cito autem. Art. 5. Cenſuræ.) defendam. En qua me fide inſimularunt invidi affectati Janſeniſmi. A quo me tam procul eſſe judicat Thomas, cùm maximè Janſenii errores tuetur, ut Semipelagianum, quo nullus eſt magis Janſeniſmo contrarius error, faciat. Deſinant me criminari, & ſibi perſuadeant, me in nullo vel Janſeniſtarum, vel Semipelagianorum errore verſari. Ab omnibus liberum eſſe: & ubi peccant, ibi me nullatenus deprehendi. Id in mea de Janſenij quinque *P*ropoſitionibus Cenſura apparuit, Janſeniſtam non eſſe: nunc remotâ Thomæ calumnia Semipelagianum non eſſe apparebit.

Ais me *Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum ſuſtinere.*

Annuo. *S*ed negavi, & nego Semipelagianum eum eſſe Errorem. Idque Cenſura Pontificia ſtatuit damnans dicentes Semipelagianum eſſe Errorem. Quod cum tu dicas, Cenſuram Pontificis incurris. Sanè ſi hoc ego nomine ſum Semipelagianus, tota fermè Catholica Eccleſia, quæ fatetur *Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe* Semipelagiana eſt. Improbas modum, & rationes quibus id defendo quod *Leviſſimæ ſint*, & *ex Vaſquio petitæ*. Leviſſima appellas teſtimonia Scripturarum, Canones Conciliorum, Decreta Pontificum, Authoritatem Patrum, Conſenſum Eccleſiæ. Sed fortè taxas modum: quem ego Vaſquij ſententiâ confirmavi.

Expro-

Exprobras petitum ex ipso: Primùm id ego fassus non sum. Affirmavi excogitatum à me,& deinde,in Vasquio repertum. Deinde tantus vir est Vasquius,ut ego inter ejus discipulos numerari optem,idq; mihi gloriosum fore existimem. Ecquis enim illo ad investigandum acutior? ad inveniendum promptior? ad judicandũ maturior? ad impugnandũ acrior? ad solvendum expeditior? Quanta vis, quanta subtilitas, quam pertinax studium, quam vasta & certa eruditio: quæ gravitas & copia in dicendo! Hunc tu virum natum ad scientias, Lumen Theologiæ audes vellicando, carpendoque contemnere: cui quî te conferre velit, is Pygmæum Herculi componat. Eum vero te prodis,rogando quomodo possum affirmare Christum mortuum pro omnibus, negatâ universali salvandi omnes voluntate? Jam id ego cum Vasquio Art. 6. Latissimè & clarissimè & in mea olim Cortina docueram. At tu vel dormis, cùm mea legis, vel non intelligis, si vigilas. *Possum* negando universalem voluntatem Divinam , affirmando generalem voluntatem humanam. An non in Christo sunt duæ? nec enim Monothelitam esse te puto, qui neges. Hoc igitur modo (quem quod dilucidè explicavi nunc non infercio) cum Augustino, & Prospero & Fulgentio & Vasquio utrunque composui. Evigila, & videbis. Vel ab Argo oculos mutuare.

Primo itaque errore liberatus eo te condemno, quòd *Semipelagianum* esse affirmas: sentire *Christum pro omnibus mortuum esse*: contra Pontificis constituti-

tutionem, à secundo ais *me non esse excusandum.* Hoc est, *Oblato omnibus Sufficienti auxilio: qui sufficientem Gratiam de Fide esse contendo.* Duo hæc tua sententia continet, unum perspicuè errare me *Offerendo Auxilium Sufficiens omnibus.* Alterum ob. est què *non esse de fide Sufficientem Gratiam dari præter Efficacem.* Quoad primum falleris, dicendo me Authorem esse, Auxilium sufficiens omnibus omnino hominibus adesse: quod aiebant. Si mea perciperes: minimè censendo errares. Dixi perspicuè Art. 6. a. fol. 100. Sententiam quæ admittit nemini prorsus deesse Gratiam Sufficientem, fuisse olim Semipelagianorum, sed non errorem illorum, cum eam communiter Scholastici cum Græcis Patribus sequantur. Negavi tamen eam esse Augustini & discipulorum: ac circa illam meum judicium sustinui. Unde constat nec me in ea Sententia fuisse cum Augustini non sit, nec quamvis forem in Semipelagiano errore fore, cum communis Catholicorū Sententia Error esse non possit. Et apparet te in utroque errare judicio: & me inter sequaces ejus Sententiæ numerando, & illam erroris damnando.

Quoad secundum: *Ego* Auxilium sufficiens admitto: aliud est enim dicere dari istud: aliud dari omnibus. Illud negare omnino hæreticum puto, quemadmodum ex mea Cortina, & Censura patet; Ac docent Scholastici communiter, Quos videre quivis poterit apud Suarium To. 2. l. 4. de Grat. Sufficien i, & Vasquum 1 p. d. 95. &. seq. & Anton. Moraines d. 23. 24. & 25. Thom. Au-

gust. l. 2. Franciscum Annat. l. 4. c. 7. & Didacum Alvarez d. 71. de Auxil. in Epit. n. 4. Cabreram in 3. p. q. 18. a. 4 disp. 6. dub. 1. Gonzalez. 1. p. q. 23. disp. 77. n. 17 Joannem à S. Thoma 1. p. pag. 693. & manifestè deducitur ex Censura Papæ Innocentis super 2. Propositione Jansenij. Tu illud tollere videris duobus argumentis inductus, quæ hic brevitur attingis. Primum: eam *Gratiam supervacaneam fore si quisquam sine ea damnatur*. Non potes hoc modo contra me argumentari, nam cum putes à me admitti Gratiam pro omnibus Universalem, quomodo infers aliquem sine ea damnari? quod si tuo sensu dicis, si negem quenquam sine ea DAMNARI, quâ ratione concludes, eam supervacaneam fore? Præterea non sequitur, multi sine ea damnantur, ergo ea non datur: cum possit fieri, ut detur multis, qui cum ea damnentur. Tandem; quia, etsi sine ea multi damnentur, non est inconveniens, quia damnantur ob Peccatum Originale, uti Parvuli quibus Baptismus applicari non potuit. Unde concluditur nullo modo te aptè argumentari. Cum ex eo quod quispiam sine Gratiæ sufficiente damnetur, non sequatur omnes sine illa damnari.

Secundum tuum Argumentum est. *Facit nullam esse necessitatem amplioris Gratiæ, si ipsa sit sufficiens.*

Hoc Argumentum non impugnat Gratiam Sufficientem, sed modum quo illa sumitur. Si enim Communi more sumatur, *Gratia Sufficiens* est,

quæ

quæ ponit hominẽ in actu primo ad actũ operandũ, *& dat ei posse, non actum.* Et in hac ratione completa est, & omnino in suo genere sufficiens: si tamen comparetur ad actum, desideratur in ea ratio Efficaciæ, undecunque tandem illa proveniat. Itaque illa prima ratio præcisè sufficiens in suo genere completa est, respectu tamen alterius Efficacis est incompletâ. *E*t sic argumento tuo in communi Sententiâ satisfactum. In Augustiniana, quam sequor, multo ad huc facilius responderẽ, nisi integram ea de re tractationem lib. meo 2. de Adjutoriis haberem, quam cum videas nihil prorsus invenies difficultatis. Hic autem nolo responsum illud afferre, tum ne rem tantam tam levi occasione suscipiam, tum quia statuo Apologiam istam, uti tu, operi meo adjungere. Ex his manet me liberum esse ab errore, cùm Gratiam *S*ufficientem cum Catholicis admittam, Universalem verò eam cum Augustino & & ejus schola non faciam, quod tu volebas errorem esse Semipelagianum, cùm minimè error sit. Non tamen adhuc statuo quid de hujus Gratiæ universalitate sentiam, quemadmodum Art. 6. dixi: *rem in medio relinquere.* Ea de re latè ac perspicuè lib. 2. de Adjutoriis acturus. Te constat multipliciter errasse; nam Primò ais *Errorem esse Semipelagianum ponere Gratiam Universalem.* Secundò *negas dari Gratiam Sufficientem*, quod solam agnoscis Efficacem. Tertiò Censes me admittere *G*ratiam Sufficientem Universalem, quia Sufficientem admitto, cum aliud sit non negare Gratiam Sufficientem; aliud affir-

affirmare dari omnibus Gratiam illam, quæ Sufficiens eſt.

Tertium Errorem meum Semipelagianum adducens, *In tertio* inquis *vocibus Ludis. Non enim permittis æquam eſſe libertatis bilancem ad virtutem & vitium, quia inclinata eſt per Gratiam ad bonum: & ſimul doces voluntatem eam inclinationem ſuperare poſſe, vel ſaltem reſiſtere.* Perperam tu meam Sententiam exponis. At fero expoſitionem tuam. Quî probas hujuſmodi ſententiam eſſe Errorem Semipelagianorum? Sanè eo quod ais. *Quæſo te qui ſuperat alium, vel reſiſtit, ei non eſt æqualis, vel fortior?* Hoc tantùm dicis, & ſiſtis: perinde ac rem probares. Ego verò ingenuè fateor, *qui ſuperat alium vel reſiſtit, alio eſſe æqualem vel fortiorem.* Quid inde Erroris Semipelagiani colligas, prorſus ignoro. Nam admitto Gratiam ſupernaturalem antecedentem, & moventem, & inclinantem voluntatem ad omnes actus, etiam initium Fidei: imo addo nihil boni & honeſti operis ſine aliqua Gratia Chriſti, id eſt, inchoatâ, à nobis omnino fieri cum Auguſtiniana Schola, & Vaſqueziana, quemadmodum probavi in mea Cortina quæſtione ſingulari. Nil autem magis abhorret à ſenſu Semipelagianorum, Qui aut nullam penitus Gratiam admittebant ad Initium Fidei, & imperfectos quoſdam actus voluntatis bonæ (uti docet Clariſſima Patrum Jeſuitarum ſchola, & ego ex ea tradidi Art. meo v. Cenſuræ) vel talem quæ omnino ſubdita imperio

 volun-

voluntatis esset, atque adeo *comes non prævia*, imo & subsequens voluntatem (uti malunt Patres Thomistici, ac id ego eodem articulo, eorum authoritate probavi) neutrâ verò ratione affingi mihi Semipelagianus Error potest. Nam admitto Gratiam prævenientem & Excitantem, & talem ut præmoveat inclinet, trahat antecedenter, & tantùm non determinet voluntatem: atque adeo necessitatem excludat., servetque, libertatem. Hanc tu Formam Gratiæ Semipelagianam dixeris? Sed uideo quid moliaris. Nemirum ut Gratia necessitet voluntatem, ei que minimè possit resisti: quod omnino Hæreticum est, & nunc contra Jansenium à Pontifice definitum. Itaque vis ut Gratia sit *irresistibilis*, quod est Placitum Calvinianum. Ac ita apparet ex tuo sequenti Pargrapho. *Hæc ego omnia*. Hoc si vis, Thoma Anglice, pugnas adversus Tridentinum Sess. 6. Can. 4. & Cap. 3. & Senonense in Prætatione & Decreto Fidei ib. & Utranque Scholam Thomisticam Duce *D*. Thoma 1. p. q. 62. a 3. ad 2. & quodlib. 1. a. 7. ad 2. & Jesuiticam. Ducibus Suario opusc. de Auxiliis. & Tomo. 2. de Grat. toto ferme lib. 5. & Vasquio. 1. p. ad Disp. 91. & 1. 2. Tom. 2. d. 189. c. 14. nosque Augustino Authore probamus in Cortina. & in Censura Art. 3. & 5. Latiusque (*Deo* dante ac Summo Pontifice permittente) lib. 3. de Adjutoriis probabimus. Tam procul ego ab errore sum, ut non potueris me nisi errando reprehendere. Pudeat verò te il-

lud mihi crimen objicere, à quo ego ſum maximè alienus. An Semipelagianus eſſe poſſim, qui Arminium mihi hoſtem propoſui contra quem Claſſicum cecini, prius ac juſtius, quàm tu adverſus me buccinam, Seu Cornua rauca inflares? Anne me quiſpiam Semipelagianum putet, qui totus Auguſtinianus ſum, & Gratiæ Amator, Admirator & Cultor? eoque nomine, ubique celebror? Ego ne Semipelagianus, qui tam ſum in partibus Auguſtini, ut nemo contra eum pugnet quin mihi quoque bellum indicat? Næ tu *Angle* dum me ad Semipelagianos contrudis ad Lutheranos, Calvinianosque deficis: dum inducis Gratiam *Cui non poſſit reſiſti.*

Nec verò tu ſolùm in hac de meo Errore infelici Cenſura hæreſim admiſiſti, ſed in ſtuporem quoque mentis incidiſti. Ecquis enim niſi ſtupidus ita argumentaretur. *Doces poſſe ſuperare vel reſiſtere. Ergo reſiſtit, vel ſuperat.* Ita enim tu aduerſus me argumētaris. Ponis enim me docere *Voluntatem poſſe reſiſtere*: quod fateor; & ſupponis, *de facto voluntatem reſiſtere* cum ais *qui ſuperat alium vel reſiſtit*: perinde ac ego dicerem Gratiæ Efficaci *actu reſiſti.* Vide quam ineptè colligas *Poſſum reſiſteri ergo Reſiſto.* Ab actu ab *Potentiam* Thoma, bene valet argumentatio: non autem à Potentia ad actum. Id que non ego, ſed Pueri Elementares Dialectici te docebunt. Næ ſi verum eſſet; perinde valere actum & Potentiam, Calvinianum te haberemus. Nam idonea argumentatio eſſe: Re-

verendus vir Thomas Anglus poteſt eſſe Calvinianus, ſed idem eſt Poſſe ac eſſe, igitur Reverendus vir Thomas Anglus eſt Calvinianus. Puto argumentationem conſtare. Et me optimè argumentando effeciſſe, ut tu Calvinianus eſſes, cum tu non effeceris, ut ego Semipelagianus evaderem.

Quartum Errorem Semipelagianum commemorans, *Tandem*, inquis *præſcientiam meritorum ſic negas, ut demeritorum prævisionem ſtatuas.* Diſperream, ſi aut tu me, aut ego te intelligo. Infeliciores nobis ambobus ſunt, qui legentes tuam hanc periodum intellexerunt negarem me Deum noſſe bona opera noſtra, & affirmare noſſe mala. Et ſanè id tu miſerâ illa latinitate ſignificas: præſertim cùm addas adverſus me, *Quaſi curioſiorem Deum facias malorum, quàm bonorum.* Perinde ac dixerim Deum præſcire Peccata, ignorare virtutes. Quod ſi ita tibi perſuaſiſti, planè erraſti, ac id nemini ſano perſuadebis, me hominem non beſtiam potuiſſe affirmare Deum cognoſcere Peccatum, quod negatio eſt, & uti vocat Auguſtinus *Nihil*, non cognoſcere autem merita, quæ actus & habitus veri ac Reales ſunt. Quanvis autem hoc dicerem, Semipelagianus eſſe non poſſem, quia homo cum eſſent, non poteram id aſſeverando in belluam degenerare. Unde hoc tibi tam ingens abſurdum in mentem venerit, inquirens, invenire in Cenſura mea non poteram. Subiit tandem anſam te arripuiſſe ex illis duobus verbis meis

quibus breviter expressi quartum Semipelagianum pincipium, *Præscientiæ meritorum.* Cùm enim hoc audisses, putasti me Semipelagianos damnare, quòd dicerent Deum habere præscientiam bonorum operum. Quid hoc homine faciamus, qui cum se magistrum dicat in Israel, hæc ignorat. Putabam nemini Theologo,bono, mediocri,malo, dubium fore,quid illa verba Semipelagianis applicata significarent; mea me fefellitt, opinio, inveni qui se Eximium putet esse Theologum, & ignoret ac pervertat. Ecquis nescit cum de Præscientia meritorum agitur de Prædestinatione ex prævisis meritis agi, non quòd Deus ea non cognoscat; sed quòd eorum cognitio non sit Causa Prædestinationis. Id communiter dicunt Theologi *Prædestinare ex prævisis meritis* vel *ex præscientia meritorum*: aut *non ex præscientia & prævisione meritorum prædestinare.* Deinde quis ignorat Semipelagianos dixisse: Deum non aliter homines Prædestinasse nisi ex meritis prævisis, tanquam Causa, & ratione Prædestinandi quæ erat Contraria Augustini Sententiæ? Ego cùm existimarem ista esse notissima,& ad alia properarem, breviter volui dicere: cum præsertim de eo non esset disceptandum,& satis ducerem solennia illa duo verba afferre: quæ nemo Theologus ignoraret. De Cæcis ego tunc minimè debui cogitare: nec putabam in Anglia ubi lynces ingenio esse sciebam,Talpas inventurum. Si autem quòd istam ego opinionem improbo,Semipelagianus sum, Profecto Semipelagiani

giani *A*ugustiniani sunt: & qui cum eo negant præscientiam meritorum esse *C*ausam Prædestinationis: Verum esto quòd ego sentiam Prædestinationem esse ex meritis prævisis, eo certè Semipelagianus non sum: sed opus est addere ex meritis liberi Arbitrij à natura procedentibus: nam si merita sint ex Gratia & Libero Arbitrio, tutum, & Catholicum est dicere Prædestinationem ex prævisis meritis fieri, quemadmodum plurimi & gravissimi Theologi docent, quos videre poteris in Antonino Moraines. disp. 19. S. 6. & disput. 23. Imo sunt exiis qui velint Augustinianam esse sententiam, uti Claudius de Saintes & Pennotus & (quem nollem) Vasquez cum Alarcone & Scholâ sua domestica Complutensi, contra quam *S*uarez, Arrubal, Ruisius, & omnes Thomistæ, quibus ego accedo, verissimè sentiunt. Itaque perperam & mentem meam intellexti, & falsam mihi errantis personam imposuisti.

Hæc ego, inquis, *omnia suspecta habeo.* *Omnia* igitur *tuta times*. Benè autem suspecta dicis; homo suspectus, & qui cum suspicionem aliis Errores præbeas de aliorum Sententiis suspicari temerè, non certò judicare soleas. *Verbo* ais *dicam*. Utinam & uno verbo absolveres. Unum solum Errorem audiremus. Sed tu verba sæpe & dicis, & das: verbosissimum quidem te omnes norunt, & Lauro clamosiorem. Hâc laureâ donandus, sed aptius infans triumphares. Harpocrati non Fabulino litato. Audiamus te recitantem Sibyllæ folium.

Quisquis

Quisquis voluntatem aliâ vi quàm Divinæ motionis, & aliter consentiendo, quam, à Deo victam & factam, consentire & bonum operari docet, mihi purus putus Pelagianus est: & incommutabile nomen Dei quod est esse primum in causando tribuit voluntati. Quid statuas satis non exprimis, sed obscure significas: Authorem te esse Deum per Gratiam necessitatem voluntati afferre, atque huic cum Efficax est *vim irresistibilem inesse.* Quomodo autem id fiat, more tuo non explicas. Sed quocunque tandem explices libertatem aufers à voluntatè. Et quidem illa tua prima verba *Voluntatem non aliâ vi quàm Divinæ motionis, & aliter consentiendo quam à Deo victam & factam consentire.* Jndicant te omnem vim activam à voluntate consentiente removere, & passivam tantum ei potentiam relinquere; qui fuit Error Lutheri lib. de Servo Arbitrio, quem refert & damnat Concil. Senonense. In Præfat. & Concil. Tridentinum Sess. 6. c. 5. & tradit Suarez Tom. 2. de Grat. l. 5. c. 4. & Vasquez. Tom. 1. in 1. 2. d. 36. c. 1. n. 3. Quod si neges hoc te sensu locutum: suamque vim activam voluntati consentienti tribuas, sed affirmes tamen voluntatem ex vi à Deo antecedenter impressa determinari, cui ea non possit resistere, tunc incides in errorem Calvini, quem infelix Synodus Dordracena, *Irresistibili* inductâ *vi Gratiæ* probat, ut patet Sess. 99. & refert Scarpius lib. de lib. arbitr. c. 3. quem errorem confutat Suarius citatus, & Becanus in Contr. l. 3. c. 3. de prædest. & nos in Cort. nostra olim quæst. de

de libert. & necessit, peccandi & in Mente Pontif, Innocentij ex Augustino nuper refellimus. Si autem (quod ultima tua verba sonant) sentias: *D*eum prædeterminare se solo voluntatem ex ratione Causæ Primæ, & Principalis, quæ prius principalius movet: qua ratione nobilissima Thomistarum schola docet, & commemorat Suarius cit. l. 5. c. 9. ne sic quidem effugies: nam cum non admittas, uti ante monstravi distinctionem illam necessitatis antecedentis, & consequentis: neque aliam sensus divisi, & compositi, qua defenditur libertas & potestas ad utranque partem;& solum sensum compositum ac ex eo necessitatem statuas, nullum relinquis Locum libertati: atque adeo necessitatem inevitabilem inducis. Jam verò quod oppositam sententiam Pelagianam facis, cum vera & Catholica sit, uti nos Latè & dilucidè locis proximè citatis ex Augustino & *C*onciliis Tridentino & Senonensi & Constitutionibus Pij. & Gregoris & Innocentij Pontificum demonstravimus, temeritas est non ferenda. Habes enim ejus Authores Calvinum & Calvinianos in Synodo Dordracena: à quibus Patres *S*acro-*S*ancti Concilij Tridentini, quòd ejusmodi necessitatem sustulerunt Pelagiani appellantur.

Postulas ad calcem, ut, *si quid per fervorem peccasti, id meæ tibi Patriæ causa ignosci velim.* Facile impetrares veniam, si in me peccares, te enim juxta Evangelium corriperem, & correpto injuriam condonarem, ac eò libentiùs, quòd Patriæ id me nomine

nomine rogas: quam nemo me ardentiùs amat, etsi illa neminem me remissiùs diligat: verùm cum in Ecclesiam & Sedem Romanam, atque adeo veritatem ipsam scripto peccaveris, non est meum publici, & nefarij delicti gratiam facere: quòd si, ut ais, in Lusitania fuisti, & quàm illa sit Catholicæ Religionis, Fideique observatrix & vindex benè nosti, comperies, hanc quam à me postulas veniam, si impertiam, eam mihi perniciosam fore: ac eo nomine quòd tibi erranti conniveam Sacræ Inquisitioni temeratæ Fidei pœnas daturum. Jam verò quod fateris Lusitanos, pares & bellando & disputando esse, eo me tu magnopere ad te confutandum & convincendum incitas. Nam nulla gens Lusitanâ fortius ac fœlicius arma tractavit, nulla dehoste plura & gloriosiora Trophæa posuit: ut me de illa esse gente probem necesse est, qui me ad disputandum provocavit, eum in litterario pulvere, prosternere, & mordere humum cogere. Itaque efficere conabor, ut constet me eodem Spiritu quo militares viri bellant, disputare. Noverit Sane Lector

Lusiades utroque in pulvere quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.

Cæterum ut hoc obiter corrigam Vivat & floreat.

Romana Mater Ecclesia non tam ut *horrore suæ venerationis*, *Orbi superstet* quod horridulè dicis:

quàm ut effuſo pietatis ſinu omnes alliciat & colligat, & materno Amore complectatur & foveat, qui eſt Chriſti Domini Sponſi Spiritus, qui ſe Gallinæ Solicitæ, pullos ſuos congreganti comparavit. Id vero quod ais *in diſputationem vocari Eccleſiæ oracula in hoc infœlici ſolo* ineptè quidem ais: non enim ego in diſputationem vocavi Innocentij Papæ Conſtitutionem, ſed eam ob inſurgentes quaſdam dubitationes reverenter expendi, perſpicuè expoſui, aptè confirmavi. An vero id è re Catholica fuerit, tua hæc diſſertatio monſtrat, quæ tot erroribus ſcatet, ut propter eos aperiendos & confutandos explicari ac roborari eam neceſſarium omnino videri poſſit.

*I*llud autem non emunctis naribus dicis, dum me adunco naſo ſuſpendis, quòd *naſutiores ſint homines male Ingenioſi ad odoranda crimina contra veritatem, quam ad veritates acceptandas.* Nam imprimis *Oſce* ante Lucilium, *qui primus condidit ſtyli è naſum* loqui videris. Deinde *malè ingenioſum* te probas: quòd in veritate Conſtitutionis Pontificiæ tot crimina non adoratus es, ſed fabricatus: quorum Mephitis bona ingenia exanimabit: niſi hoc tuum Cornu, tanquam Aornon, declinent.

Claudis opellam ita: *Vale, & magis opportuna meditare.* Valere me jubes. Ego quidem valeo: & tam bene, ut Atleticè tecum egerim, & herbam te mihi porrigentem viderim. Tu quî valeas ſcire velim, poſtquam Entellum Dares provocaſti. Quod mihi das, id tute ante poteras capere conſi-

lium

lium : Eo mihi opus non eſt, qui nihil opportunius facere potui, quàm quo tempore multi & in Gallia & in Anglia contra mentem Pontificis Janſenii Propoſitiones tuebantur, idque ſcriptis in lucē editis profitebantur, eodem mentem Pontificis ſuſtinere, ejusque Cenſuram confirmare, & Janſenij Propoſitiones ſummo jure; proſcriptas damnataſque certiſſimis argumentis oſtendere. Quod ſi opportunum id minimè tum fuit, certè poſtquam tu adverſus me ſcripſiſti, non modo opportunum, ſed à Deo proviſum fuiſſe videtur; nam cum eoſdem tu errores defenderes, & Summi Pontificis judicio non acquieſceres, uti ex ſcriptiuncula hac tua perſpicuè apparet, ita ego cogitationes tuas occupavi, ut perinde ac te deprehenſum putares mentem tuam perverſam proderes, viruſque in pectore collectum evomeres, cui ego ſalutare hoc Antidotum præpararem, & occaſione arreptâ venenatis deprehenſis veſtigiis reliquum opus tuum expurgarem. Idque jam præſto & perſonam tibi detrahere incipio, qua imperitis & ſimplicibus imponis, ut remoto fuco norint magnopere ſibi à doctrina tua cavendum eſſe. Diſcent in hac vaſta & ſpinoſa tortuoſaque Scriptorum tuorum ſylva colubros latitare, quos cum ego ſigillatim oſtendero dicam,

Aufugite hinc: Blacoli multus latet Anguis in herbis.

Nec ego judicium tuum infœlicissimum moror: cum nemo non sit Catholicus, quin consilium meum laudet, quo ansâ Censuræ *P*apæ Innocentij usus *P*ontificiam authoritatem inter alios adversarios defendi: quod Romanũ prorsus & Religiosum est, ac homine Lusitano, id est, maximè Christiano, dignum. Itaque officii mei esse duco, eandem Romanæ Ecclesiæ, & Papæ authoritatem; quam tu cavillationibus præstigiisque elevare contendis, suscepto Consilio tueri, & confirmare.

QUI tuam Reprehensionem, & meam, *Thoma Angle*, Responsionem legerit, comperiet, te quinque illas Propositiones Jansenij Constitutione D. N. Innocentij X. Summi Pontificis damnatas, contra ejus judicium, præceptumque sustinere: nec contra eum tantum, sed adversus Patres, & Concilia, Pontificesque defendere: Me religiosè juxta Decreti sensum, Censuramque damnare: ac id eorum quibus tu non acquiescis, authoritate confirmare. Pugnas igitur illas sustinendo cum tota Ecclesia Catholica Romana: cujus ego doctrinam amplexus sum, & proposui dum eas Propositiones Proscripsi. Moneo te amicè, ne velis à me dissentire, qui rectè sensi, & sentio, idque verbis Augustini (qui mihi omnia Author est) lib. 1. contra Julianum c. 4. quæ in rem nata videntur persuadere tibi volo. *Puto tibi eam partem Orbis sufficere debere, in qua Primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare. Cui Ecclesiæ Præsidentem Beatum Innocentium*, id est, Primum, *si audire voluisses jam tunc periculosam juventutem*, ego mentem, P*elagianis*, ego Jansenianis, *laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis*, ego Gallicanis, *respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia. Et tamen ejus successorem crimine prævaricationis accusas, quia doctrinæ Apostolicæ, & sui Decessoris Sententiæ noluit refragari. Sed de hoc interim taceo, ne animum tuum quem sanare potius cupio, quam irritare laudibus tui damnatoris exulcerem:*

Sancto Innocentio vide quid respondeas, qui nihil aliud de hac re sapit, quàm quòd isti in quorum te conventum, si tamen prodest aliquid, introduxi, cum his etiam ipse confidit, etsi posterior tempore, Prior loco.

Integrum volui locum producere, quòd in eo divinitus Augustinus Innocentij I. personâ inductâ Authoritatem & Primatum Petri Successoris asserat, Innocentium X. hoc nomine ejusdem Cathedræ ac Doctrinæ Successorem doceat. Quod judicium futuræ mihi tecum de Authoritate *P*apæ controversiæ præjudicium, ac tibi Apostolicam esse, & Catholicam, & Infallibilem documentum esto.

Vale & Palinodiam muginare.

ERRATA.

Pag. 5. l. 9. Præfacto l. præfracto. ib. l. 6. ad &. le & ad. p. 6. li. 25. publicæ. le. publicè. p. 11. li. 19. admſſo. l. admiſſo. p. 16. li. 10. imponens l. imponentem. p. 21. l. 20. fateris l. fateri. p. 24. l. 13. liberas l. libertas. p. 25. l. 16. hanc l. hunc. p. 34. l. 8. decere. l. dicere. p. 35. l. 11. mentem l. meritum. p. 30. l. 1. cum detur concurſus, conaturalis l. cum non detur concurſus debitus, connaturalis eſt. p. 46. l. 14. de cont. ſol. l. de Conſol. p. 46. l. 6. nec rꝫ le. nec gry. p. 49. l. 7. erraſſe l. quòd erraſſent. p. 50. l. 23. hoc l. hos. p. 51. l. 4. efficem l. efficaciam p. 65. l. 23. prævidit. l. prævidiſſe. p. 68. l. pen. objiceris l. obieceris. p. 80. l. ult. is l. ij. p. 86. l. 9. ad ſpeciè le. ſpeciem. p. 103. l. 23. ſine gratiæ, l. ſine gratia. p. 107. l. 24. reſiſteri le. reſiſtere. ibi. l. ult. eſſe. l. eſſet. p. 108. l. 13. negarem l. negare. ib. li. 26. cum eſſent l. cum eſſem. p. 114. l. 19. è naſum, dele è. In Prol. emollorire l. emollire.